




1558
Solenandri









R.I

from Mr

A xxix. 501

Saml. Parker

1713

E Libris W. Clarke

Febr 17-1818

REINERI SO-LENANDRI BV-DERICENSIS MEDI-CI CONSILIORVM Medicinalium,

* *
*

Sectio prima.




LVGDVNI,

Apud Ioannem franciscum de Gabiano.

1558.

Cum priuilegio.



Reinerus Solenander

MEDICINAE STV-
diosis Salutem.



Licet, studiosi, illud Hesiodi verissimum agnoscamus, Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι, & quæ sequuntur: tamẽ naturâ hoc est insitum, vt omnes in quolibet proposito fine consequendo, media quęramus, quę arbitramur quam facilima, quam breuissima, quàm expeditissima. Hinc sunt (vt nihil de cæteris dicam) in medicina tot compendia excogitata: hinc illa Methodica secta vniuersam artem, licet difficillimam, arroganter semestri spatio promittens: Inde tot consilia medica scripta, tot practicorum, vt vocant, libri diuulgati, tot experimenta ædita, quę omnia ita passim amplectimur, quasi his cognitis statim medici futuri simus. Quotusquisque nostrum est, qui Hippocratis lectionem, breuitate obscuram & imperfectã, non auersetur? quis Galeni plus æquo explicata & prolixa scripta, non fastidit? quis Auicennam hoc tempore, licet breuitate non sit

admodum obſcurus, nec multum prolixi-
tate moleſtus, in manus ſumit? In oculis
potius habemus Aëtiũ, Aeginetam, Tral-
lianum: & quia ignari rerum iudicamus
hos, Grecis, non autem noſtris homini-
bus medicinam ſcripſiſſe: his poſthabitis
confugimus etiam ad noſtros homines,
Gordonium, Cattinariam, Valeſcum, &
id genus alios innumeros: ex quorum li-
bris paſsim non admodum cõmodè ægros
curare nitimur: tamen hi æquiore animo
ferendi ſunt: verum qui ita ſe compara-
runt, vt abruptis quibuſdam ex Galeno
deſumptis ſententijs, illíſque ſæpe non in-
tellectis, de euacuatione, eiúſque ſpecie-
bus, de calido natiuo, de facultatibus aut
id genus ſimilibus, & varijs receptis (ſic ap
plicanda remedia vocant) vndique conge
ſtis medicinam factitant, maius detrimen
tum Reipub. inferunt: vt qui ſolidi iudicij,
ſinceræ eruditionis (vtrumque ex artis fun
damentis & primis principijs deductum
eſſe debet) nihil ad opus medicum adfe-
rant: vnde fit, ſi morbus forte paulo ſit dif
ficilior, nõ cognoſcatur ab ijs, vt qui axio-
matis illis, quę edidicerunt, non compre-
hendatur: aut curare nequeant, quoniam
in Receptorum arculis nullum eo curan-
do morbo remedium inueniant. Interim
dum

dum ego multos annos in Italia partim disco, & doceo, partim medicinam facio, obseruaui penè innumeros adolescentes Medicinæ studiosos, quibus satis fuit salutasse solùm Italiam, & Receptas (lubet ita vocare) varias collegisse, statímque ad suos pro Medicis rediisse. Quod ego non potui non vehementer improbare. Si res Receptorum multitudine & varietate ageretur, pharmacopola quemuis Medicum facile vinceret: is enim magna ex parte non minus, atque artis studiosus nouit, quod cuique morbo medicamētum ascribit medicus. Quapropter ego studiosam iuuentutem admonitam volo aliter de suis studijs statuat, atque ea ita comparet, vt & Reip. sine incommodo vsui esse possint, & sibi honori & vtilitati queant: quod sane potest, si studia rité instituantur, non magno negotio fieri. Nam quæ ad finem medici consequendum faciunt, sanè paucis continentur: etenim in curando morbo, hæc duo solùm requiruntur, nimirum vt, Studiosi, morbū exactè cognoscatis, & remedij adhibendi ad morbi curationem, vires & naturam diligenter perspectam habeatis: equidem horum duorum cognitionem satis superq; esse & abundè arbitror: quandoquidem huc totius medicinæ co-

gnitio tendit. Verùm non debet hæc leuis
& superficiaria esse cognitio: etenim ad
morbi cognitionem varia requiruntur. Si
enim morbũ exquisitè quolibet tempore
cognoscitis, statim effectus eius, causásque
perspectas habere debetis: hoc enim vul-
gus etiam nouit, prudentibus tamen pri-
mùm docentibus, scire esse per causas rem
cognoscere. Huc pertinet motus causæ
morbi cognitio, vnde morborum tempo-
ra statim se vobis produnt: quæ vt pluri-
mum occasionem quandam remedij ali-
cuius exhibendi suppeditant. Præterea vt
morbus ex arte cognoscatur, necessum est
naturam & vires ęgroti emensas habeatis.
Nam si morbus est, quando constituitur
corpus præter naturam, necessarium est,
vt naturalem constitutionem cognosca-
tis quo ipsius contrariam compositionem
rectè assequamini: ex contrariorum natu-
ra. Hîc temperamenta inuestiganda eo-
rúmque gradus distinguendi: partium de-
nique omnium constitutio & vsus tam si-
milarium, quam earum, quæ ex non sibi
similibus constant, tenenda. Quæ omnia
sciri nequeunt, nisi prius humores, vnde
geniti, alimenta & elementa perspecta fue
rint. Hæc & pauca quædam alia, ad mor-
borum sinceram cognitionem, sunt scitu
necessaria

necessaria. Remedij item, quo morbum statuitis impugnandum, vires & naturam nisi noueritis, nihil profecto dignum vestra arte effeceritis. Nam non satis est scire, exempli gratia, adianthum vel betonica calculosos iuuat, sed intelligere oportet, quid quodque faciat in corpore, quo facto calculosi iuuentur: Nam multa sunt calculosis proficua, eáque longe diuersa, quædam quod incidant & attenuant, qualia Gal. dicit calculum cõterere: alia quod atterant nonnihil: nonnulla quod meatus, in quibus hæret, & per quos deducendus est, laxant: aliqua quod molliant, & lubricos reddant: præter hæc quædam quod talia sunt, curãt: quædam etiam, quod materiam ad lapidis generationem aptam è corpore educunt: nam & ea per accidens calculosos iuuant. Hæc distincta cognoscere & intelligere decet, alioqui quid in quolibet casu exhiberi oporteat, ignoratur: vbi nihil ex arte, sed omnia casu fiunt, neque vlli sanitas promitti ea ratione posset, cum omnia fortuitò & administrarentur & effectus suos producerent. At ea simplicia & composita medicamenta (quæ vulgus ferè remedij nomine intelligit) ex animalibus, plantis, metallis desumpta, non suffecerit cognouisse. Sed omne il-

lud quod assumitur: quod fit: quod retinetur aut vacuatur: quódq; exterius incidit: in quibus quatuor tanquam locis & sedibus omne remedij genus facilè cótinetur. Et vt hoc exempli loco vobis addam. Ponamus vacuandum esse corpus. hoc ipsum multis modis, vt didicistis, fieri potest, venę sectione, cucurbitulis, scarificatione, hirudinibus, purgatione, inędia, balneis, exercitio, frictione, & id genus alijs. hîc cognoscere conuenit, quædam æqualiter vt inædia, venæ sectio, quædam inæqualiter, vt purgatio, vacuare: alia manifestò, alia insensibiliter: nonnulla subitò & confertim: quædam paulatim: aliqua parum: quædam multum, & similes id genus differentias, vt vbi humor demendus æqualiter, sensibiliter & cófertim, sciatis venæ sectionem egregium esse remedium. Non possum hîc omnia prosequi: prolixior sum quàm volebam, quare breuibus expedio. Hæc sunt & his similia, studiosi adolescentes Medicinę cãdidati, quæ asiduo studio & labore indefesso inuestigare debetis: hęc ea quæ verè secreta sunt in arte, nec omnibus, qui pro Medicis habẽtur, cognita: nam qui ea cognorit, vbique facilè sibi remediũ comparatit, nullo præsente Pharmacopola, & libris omnibus exoletis, cariéque excsis,

arculis

arculisque Receptorum (vt ita dicam) igne cõsumptis. Vos igitur Medicę artis studiosi ingenio acri & assiduo labore, Minerua non reluctãte, operá nauabitis, quò ea ritè assequamini, & methodo, que paulo ante dixi. In rationibus rerum naturalium inueniendis & dijudicandis vos plurimùm exercebitis: quod multo felicius facietis si Scriptorum autoritatibus non tantum tribueritis, quin lubentes rationi aliud docenti concesseritis. Ea omnia postquã, quoad eius fieri potest, satis diligenter perceperitis: tum demũm date vos alicui docto & exercitato Medico, qui preceptor vos veluti manu ducat, & artis quasi fores aperiat: hunc tum temporis diligenter obseruare vos decet, conferentes quotidie quæ ad præsentes ægrotos spectant in vtrãque partem plurima: Et si quæ is habeat, quæ longo vsu cognorit hunc vel illũ morbum curare, maxime si id faciant, non suis manifestis primis aut secũdis qualitatibus: sed quia talia sunt, ea diligẽter annotare profuerit, quo ijs in casu simili aliquãdo, si res tulerit, empiricè vtamini: hunc diutius colite, si manu is medetur (nam & eam partem arti reddere decet) Etenim ea quæ Chirurgus facit, si is exercitatus & doctus fuerit, fælicius ex vsu, quã libris discũ-

 tur

tur:quandoquidem hîc morbus ipſe oculis ſe conſpiciendum obijciat. Præſtat & hunc mutare, atque eo doctiorem, ſi detur conſequi. Dum extrema hæc manus ſtudijs imponitur, ceteris omnibus probè percognitis, eo tempore ex vſu fuerit, & practicos libros, & conſilia medica, & remedia quæ ſcribuntur experta, operi cum iudicio adhibere. Nam tum temporis iuuare poſſunt, multa in memoriam reuocando, & breuibus limitibus comprehendēdo, quæ in vniuerſa arte paſsim & vbique traduntur. In hoc negotio licet & practicorum libri, quibus exercitati in arte viri, omnem morbum ferè comprӕhēdunt, & prudentum cōſilia in varijs morbis data, egregiè iuuant: tamen mihi ſemper viſa ſunt conſilia magis proficua, magiſque neceſſaria. Quādoquidem quæ in practicorum libris ſunt, omnia prope ex Galeni libris de morbis & ſymptomatis, & de cōpoſ. medicam. ſunt trāſcripta: atque omnia ita tractata, vt nulli priuato, huic aut illi hęc applicari, niſi cum magno negotio poſsint. Quod omniū eſt ſemper iudicatum difficillimum in medicina: nimirum vt ea que vniuerſaliter in ea explicantur, poſsint particulari vnicuique applicari. At in conſilio medico hic primus ſcopus eſt: vt hic priuatus cure-

tur

tur, non ſemper ab vno morbo, ſed ſæpe complicatis multis, atque ijs ſubinde contrarijs vel oppoſitis. Dum ea inueſtigantur, ſubinde quæ de temperamentis fiunt diſputationes, omnes explicantur: ſæpe & multum de grauiſsimis quæſtionibus determinatur: aliquando effectuum admirabilium cauſæ traduntur: item omnia & pleraque expertiſsima & exquiſitiſsima remedia in medium adferuntur. Vt nihil dicam, de victus ratione varia varijs vario modo preſcripta: quæ omnia ſane longe inferiora ſunt in practicorum libris. Ego ſane interim dum medicinam facio (facio autem iam multos annos) legi quidã practicorũ aliquãdo libros, non ſine fruge: ſed tamen, vt verum fatear, longè maiorem precepi vtilitatẽ ex medicorũ conſiliorum obſeruatione, quàm practicantium libris. Quapropter cum Ioannes Franciſcus de Gabiano vt Remp. Med. ſuis impẽſis iuuaret, in animo haberet Mõtani noſtro tempore doctiſsi. medici conſilia, commodiori forma ſtudioſis impreſſa cõmunicare, atque ex me petijſſet, vt ſibi mei exemplaris perlecti, & ſicubi opus erat, correcti copiã facerẽ, ſane non potui viro humaniſsimo & mei amantiſsimo in hac honeſta petitione deeſſe. Perlegi ea igitur omnia, multa con

ta contuli cum ſcripto exẽplari; quod me-
cum ex Italia detuleram: plurima correxi,
maximè in ſecundo tomo, quæ non ani-
maduerſa hactenus à multis doctis Medi-
cis,qui eandem operam præſtiterãt Reip.
omnes ſumus admirati. vtrorũque collata
exemplaria fidem rei facient. Quæ in ſe-
cundo tomo habentur, item multa in pri-
mo,talia ſunt, quod ſi Montanus in viuos
rediret nollet profectò pro ſuis agnoſcere,
talem hominẽ nouimus dum in viuis eſſet.
Tamẽ qualiacunque ſunt ex ijs ſane ſem-
per aliquid capiet emolumenti Medicinæ
ſtudioſus. Quæ in prima parte ſecundi to-
mi ſunt, non ſimpliciter conſilia medica
ſunt: ſed de ægrotis confabulationes quæ-
dam, quales in viſendis ægrotis ſolent in-
ter medicum & diſcipulos haberi: qui Ita-
liam vidit, nouit morem hunc laudatiſſi-
mum, quo ſane cunctas alias nationes in
ſtudio medico antecedit. Verùm cum iam
hæc Mõtani quæ extant cõſilia typis con-
ſcripta eſſent nec ſecũdus tomus ita excre-
ſceret, vt ſtudioſis vſui eſſe poſſet, inſtitit
apud me,vt pauca illa quæ forte habebam
conſilia,his annecterem, ita facturum me
ſtudioſis rem vtilem & gratã, & futurum
vt liber excreſceret in magnitudinẽ con-
uenientem. Qua ratione factũ eſt, vt Mon-

tani

tani mea hæc adieceerim, pleraque obiter exarata, alia inter consulendũ, vt fit, dictata & excepta, non sane ea ratione, vt publicam lucem viderent: nam si mihi id in animo fuisset, præterquam quod ægri salutẽ in his procurassem (vt diligenter procuraui) semper in vnoquoque consilio explicare conatus fuissem rem aliquam in medicina difficilem, vel male cognitam aut intellectam: quod promitto vobis me post hac facturum, si intellexero hæc pauca placuisse, vel inde vos vtilitatẽ aliquam percepisse. Ita etiam fiet, vt qui mihi ęgrotus curandus proponetur, diligentius percuretur: cum non solum priuatam ipsius salutem in ea curatione desiderem, sed publicum commodum quærã. Quapropter etiam hæc, prima sectione distinxi, continuò alias additurus, his magis elaboratas, magisque, quo ad eius fieri potest, doctas, quasique ad editionem conscriptas. Valete & laborem meum æqui bonique consulite.

LVGVDVNI.

CATALOGVS CONSILIORVM

Medicinalium contentorum prima sectione.

*



meiendum interceptione, in quo etiam de vsu thermarum. Pro mercatore Florentino. xviij.

In arthritide & tumore scyrrhoso circa vterũ pro nobili Laudunæa ad Abbatem D. Ioannis Laudunæi. xjx.

In arthritide & nephritide ad magnificũ ciuem & mercatorẽ Nurnburgẽsem. xx.

In febre tertiana pro integerrimo viro ciue Lucensi, habitum cum Medicis Geneuensibus. xxj.

In quartana febre datũ Ioanni Lœuenicio legum studioso Biturigibus. xxij.

In varice sinistri cruris cum eiusdẽ tumore circa talos & sub genu quadam duritie, ad ciuem Geneuensem. xxiij.

In ganglio in summa sinistra manu pro mercatore Coloniensi. xxiiij.

In cutis defœdatione, & principio elephãtiasis & aliquot alijs affectibus, datum honestæ mulieri Lugudunensi. xxv.

Reineri Solenandri

BVDERICENSIS MEDICI

Consiliorum Medicinalium sectio prima.

Consilium primum in defluuio capillorum ex nimia cutis raritate: in quo latius disputatur, quòd defectus nutrimenti non sit habenda causa defluuij pilorum. Ad Ioannē Sohetium Eburonem Medicum.



Onquestus es mihi aliàs Ioannes Soheti in vulgari colloquio, te ex nimia cutis raritate vix capillos retinere, atq; meum in ea dispositione consilium petijsti, vel quod fortè me pro ætate paulò te doctiorē iudicares vel quod arbitrareris nostra vtriusque collata industria facilius huic affectui posse succurri. Equidē tum temporis sumpta ab ipso affectu indicatione, attuli illa, quæ ratio iudicabat conuenientia, adiungens interim ea, quibus in simili malo aliàs fœliciter vsus eram. verùm his non contentus domum reuersus statim cum Galeno meo consilium inij, non quod difficultas rei id exigeret, sed vt tibi solidè, & sincerè consulerē, quem & morum, & studiorū similitu-

iam à multis annis amicißimum reddidit. Quapropter etiam non graue mihi fuerit hoc tempore ad te perscribere, quæ apud Galenum inuenerim, eaque longiori paulò disputatione Medicus Medico explicare: quod & communia studia admittunt, & affectus tui capitis, quod mihi charißimum est, requirit. Inuenio itaq; Galenum cùm diuersis in locis, tum præcipuè libro primo de compositione medicamentorum secundum locos, & postremo decimoquarto libro suæ methodi ex professo de hac re agere, in quo statim ab initio in hæc ferè scribit verba. Quemadmodum plantæ aliquæ ob humoris inopiam resiccatæ corrumpuntur, aliquæ verò ob humoris alieni ab ipsarum natura attractionẽ: eodem modo & capilli, aut propter humorum ex quibus nutriri consueuerunt inopiam, aut propter eorundem vitiationẽ corrumpuntur. Et propter inopiam sanè humorum, caluities contingit: propter vitiatos verò humores alopecia, & ophiasis. Præterea secundo eiusdem libri capite, Defluuium (inquit) capillorum est alia pilorum affectio, quæ ad raritatem cutis, inopiámque substantiæ pilos generantis consequitur. Hæc Galenus & omnes ad vnum medici, qui eum sequuti sunt. Cum his eadem sunt quæ in methodo curatiua: in aphorismis, & alijs innumeris locis commẽtatus est. Quæ sanè cum diligentius perpendo, nescio an probare debeam, etiamsi hoc ipsum ante eum Aristoteles cùm alibi tùm decimooctauo problemate sectionis

quartæ

quartæ manifestè scripserit. Nàm si diligenter consideras naturalem pilorum ortum, quo modo, in qua cute, ex qua materia primum erumpant, firmentur, paulatímq; succrescendo augeantur, non profectò difficile fuerit, causas etiam inuenire, quare aut omnino non pulluent, enascantur, & proueniant: aut enati excidant, atque corrumpantur. Pilorum enascentiam, non libenter generationis, neque eorum additamentum, auctionis, & nutritionis (hæc enim eadem specie existunt) vocabulis dignor. Illorum enim (vt scis) nullum regimen est, nulla vita: sed ex postremis alimenti concoctionibus recrementa quædam, trudente & se expurgante natura, ad cutem secedunt, quorum alia in sudorem resoluuntur, alia in sordes abeũt, alia ita vt sensus non percipiat, difflantur: ex his quædam, nimirum quæ fuliginosa magis sunt, terrestria tamẽ, viscida, & limosa glutinosaué materiam pilus præbent. Ea enim, exiles cutis nostræ meatus penetrantia, quia glutinosa sunt, hærent: neque prius meatum, quem subierant, relinquunt, quam natura eius generis alia agglutinando priora extrudat, quibus sua natura siccis ambiens nos aër, eam formam confirmat, & tuetur, quam in ipsius meatus angustijs assumpserunt. Agnoscis materiam pilorum, scis etiam vbi hæc multa est, pilos frequentes esse: raros, vbi pauca: vbi nulla (quod tamen vix potest accidere.) nullos oriri pilos. Atque hac in re vt in alijs multis naturam

ſuſpicio, maximíſque effero laudibus, quod frugalis egregie, retrimentum etiam in vſum conuerterit, ornamentóque & vtilitati corpori addiderit, Reſtat, vt videamus, qua in cute pili effloreſcant, non enim quælibet (etiamſi materia oportuna exitum quærit, & moliatur.) apta videtur vt pilos emittat. Atque hîc Galeni analogia vtar, etiam ſi in comparatis non ſit admodum prompta proportio. Plantæ non in omni ſolo naſcuntur, humidiſſima terra & limoſa plantas non emittit: Sicciſſima & duritie rara itidem nullas alit. Tantum illud ſolum quod in ea compoſitione temperatum eſt, aut non multis gradibus à mediocritate diſtat, plantis vireſcit. Imaginare tibi aliud magis ſimile In ſicciſſima terra, & ſolidiſſima minimè, aut niſi cum magna difficultate palum figis. in limoſa, humida aut aqua ſubacta terra nullus eſt meatus, qui eundem ſuſcipiat, & ſi fortè fixeris, in hanc, aut illam partem inclinando ſidit, & labitur. Solum ea humus, quæ inter has media quodammodo eſt, commodáque ſpiramenta obtinet, promptè palum admittit, admiſſum amplectitur, amplexúmque retinet, quoad eadem humus, aut ſicitate rareſcat nimia, & rimas ducat, aut humido ſubacta emolliatur, ſpiraculáque cõcidant, ac veluti oblimata claudantur: nam in harum utraque neque baculus figitur, neque fixus perſiſtit, ſed excidit: idem pilis vſu venit: nunquã enim etiam præſente materia ſub plantis pedis, pilus enaſcitur, neq; vnquam palma

palma manus eo vestitur, loci dēsitas repugnat, vt sæpè in alijs siccitas: licet hoc videre in cancris, locustis, pinnis, musculis, denique omnibus illis, quæ aut crusta, aut testa integuntur animalibus. Humida cutis eodem modo nullos pilos emittit, constat hoc ex pilis post genitis barbæ, axillarum, & pubis: quæ eo tempore tādem erumpunt, cum earum partium cutis, aut propter ætatē, aut aliquā insignem humidi euacuationem, vt menstruorum, hæmorrhoidarum, & coitus, siccior, & magis rara efficitur. Sic effœminatis hominibus genæ tardius pilis vestiuntur: ita per vniuersum corpus pili non statim efflorescunt: sed paulò pòst, quando ambitus corporis, & ætate, & externo aëre siccior paulò, & rarior euadit: atque hos absque ordine enascentes pilos & loco non circumscriptos inter post genitos habeo, etiamsi ab Aristotele non enumerentur. Est tertia inter has cutis dispositio, rara scilicet, non tamen vehementer: sed vt excrementi transitus requirebat, mediocriter: hæc facilè pilum admittit. Sic Hippocrates noster quinto aphorism. LXIX. inter cætera, cutis rara, inquit, indicio est pilus. Ita connascuntur nobis pili, quod eæ cutis partes à prima constitutione etiam in materno vtero eam raritatem, & siccitatem adeptæ sint, quæ pilis extrudendis cōueniens erat, & apta. Eadem de causa videntur mihi exteriores crurum, & cubitorum partes, hirsutiores potius quàm internæ. quod ea cutis rara magis est quàm interna, &

spiramentis frequentibus peruia. Habes Solseti materiam conuenientem & pororum aptam dispositionem, causam geminam egressus pilorum, quæ vtraque necessario ad eorum productionem concurrit, vt vbi ea adsit, necessario ibi pilus sit (non reclamante tamen facultate recrementorum expultrice) atque vbi vna ex his desit, nullus etiam pilus exire posit: scis quoque quẽadmodum ad harum causarum differentias in ipso effectu discrimen inueniatur: vnde tam varij, cùm qualitate, tùm quantitate pili visuntur. His ita constitutis, vnde pilorum defluuium, corruptio, atque caluitium oriatur facile patet. Si enim pili emergere debent, debita pororũ raritas adsit necesse est: nimia enim humiditas & huic contraria siccitas cum duritie, poros labefactãdo, eorum exitum intercipiunt. Materia quoque pilorum defectus facit, vt nullus omnino pilus nascatur, atque ita naturale caluitium imaginamur. Verùm non omnino eodem modo se habent pili iam enati & semel progeniti. Nam in his defectus alimenti pilos augmentantis incusari non potest, tanquam causa alia quæ sit, quare defluuiũ eorum subsequatur. Non enim pili excidunt, quia alimentum eorum prorsus perijt, vt Galenus inquit, sed quia aut pororum dispositio naturalis malè affecta est, aut quod alimentum vitiosum redditum est, & corruptum. Hæc partim ophiasis, partim alopeciæ pro diuersa figura quam exprimit: illa solum simplicẽ capillo-
rum

rum defluuij causa est. Nam cùn pori se commode habuerint, pulchrè firmantur & hærent: neque impedit, quod nihil alimenti ex parte in qua pili sunt, aut corpore eleuatū eis agglutinetur & apponatur: non enim ob eam causam decidunt, etiam si non excrescant. Etenim pilus cùm non augeatur, uel protrudatur absentia sui-ipsius alimenti, necesse non est vt iam genitus, & sua veluti radice fixus aliénque in meatu suo hærens excidat, & elabatur. Nam cum solùm protrusione nascatur, & ui succedentis alimenti eleuatus longior euadat, non video quare defluere poßit poris se rectè habentibus: cum nihil intus sit quod illum more sui alimenti paulatim extrudat, aut aliquid aliud quod violentia per fas, & nefas excutiat. Vides ne quàm ægrè, & quam non sine labore extrahantur poris adhuc bene cōstitutis? At quod ibi tum temporis subest alimentum quod eum retineat, & trahenti reluctetur? nullum profectò. Sed sola est naturalis illa spiramenti constitutio: quæ ita comparata est, vt inferiorem pilum apte circumdet & cingat, cinctum foueat, fotū firmet, firmatumque conseruet. Quis quæso alimentū subministrat pilo in pellibus animalium iamdiu excoriatis & detractis? At his pili non excidunt, nisi teredines, tineæ & id genus alia insecta poros infesto dente deuastarint, aut meatuū constructio humido aliquo labefactata fuerit, uel putredine demolita. Sed adferet mihi de plantis exēplum, quas exarescere

conſpicimus, vbi aut nullum alimentum habent, aut proprio destituuntur. Concedo, imo quod folijs euenire videmus pilis magis reſpõdet, (ea enim arboru comam quodammodo referunt) quæ autumni initio languere incipiunt, flaccescunt, ac ſponte ſua tandem decidunt, non aliam ſane ob cauſam quàm quòd alimento destituantur, ac humidum quo fouebantur ac vigebant depaſtum ſit: argumento eſſe poſſunt, ea plantarum folia, quæ aut propter multitudinem humoris, aut eius lentorem non decidunt: ſed perpetuo virore ſunt inſignia & conſpicua. Analogia hæc Galeni egregia eſt: ſed ad pilos collata omnino nullã proportionem ſeruat. Atque ob eam cauſam Galenum miror, qui ſui-ipſius oblitus, hæc voluerit comparare, cum in naturalibus paßim aſſerat, non plantarum modo pilos naſci: & tamen eundem vtriſq; interitus modum voluerit præſcribere. Plantæ animam habent, radicibus terram vndique complectuntur: ex hac ſibi conueniens alimentum ſugunt ac omnibus ſuis partibus tranſmittunt: ſic foliorum etiam extremæ partes, interim dum in arbore virent, alimentum ſuſcipiunt: neque folio apponitur, ſed per totam eius ſubstantiam pulchre distribuitur. At pilorũ non ea eſt natura, nulla eis vita, radicibus cutem, aut ei ſubiectam membranam non complectuntur: eique ſeſe varijs implexibus non inſinuant: ſed vt vallus terræ infigitur, ita pilus cuti inſertus hæcet: non nutri
tur

tur, ſed paulatim ei aliquid materiæ accreſcit, & allinitur, quod per totum pili corpus non ſecedit, nec diſtribuitur, ſed in radice hæret exitúmq; molitur, atque ita pilum protrudit, qua ratione fit, vt quod iam extremum in eo eſt, ante aliquot dies in meatu pro radice hæſerit. Hîc obiter te volo commonefactum, non album illud, quod in extremis nigris pilis circumnaſtum vides radicem eſſe, non enim hoc extruditur: ſed in ipſo poro hæret, pituitoſum quoddam, ac veluti pilo tranſeunti viam, & commeatum præbet. Percurre animo varias vaſorum in corpore noſtro diuaricationes, quibus diligens & ſollicita natura ſemper aliquid apponit, glãdulas, pinguedinem, aut ſimile quiddam, quo huiuſmodi vaſorum diuaricationes tutiùs abſcedant. Eodem modo hæc viſcoſitas pilo adnata videtur: ſcio quòd eundem vſum non præbeat, neque natura dedita opera eò ſeponit: attamen meatus nonnihil offarcit ac pilum magis, ne excidat, retinet, & firmat. Quod verò radix non ſit, ſic agnoſces, non in omnibus pilis reperitur, neque in quolibet corporis loco, ſed ſolum vbi cutis craſſiuſcula eſt. Præterea in exanthematis, pſydraciis, fauo, manantibúſque capitis vlceribus, ſi pilum extrahas ſtipatam admodũ eius imam partem inuenies hac materia, cõſpiciéſque ſtatim ſubſequi & emanare, humidũ quid, vt plurimum ei ſimile, quod nullo modo pilis materiam præbere confiteare neceſſe eſt. Inuenies quoque hoc album

non extremum eſſe in pilis, neque eorum partem, quod tamen radix eſſe debet. Nam vel vnguibus, vel cultello potes, pilo quem ambit interim illæſo, abradere. Taceo hîc quod omnes omnium pili (hac exiſtente radice) albidi conſpicerentur, aut ſaltem ſuppallidi: nam ferè ex his coloribus, vnum ea materia referre ſolet. Sed quænam igitur eſt pilorum radix? Ea ſanè varia eſt, in quibuſdam nigra: in aliјs pallida: in pleriſque fuſca: nonnullis copioſa, quibuſdam pauca: aliјs vix conſpicua: hæret extremo pilo glutinoſa, putares muſcæ alicuius excrementum, in calidis, & ſiccis copioſior eſſe conſueuit, in quibus picem nigram vel bitumen illud quod Iudaicum vocamus colore & lentore ſuo vt plurimum repræſentat: quod ſi extractum pilum chartæ aut alicui corpori inijcias, ita pertinaciter ſua radice hæret, vt vix excuti ſe patiatur. Hæc de radice pilorum latius dixi, quod videam non vulgares ſolum homines, verùm etiam pleróſque medicos ignorare quænam ſit eorum radix, album illud quod pilo inferiori circumnaſcitur eandem exiſtimantes. Sed vt eò vnde digreſſi ſumus, reuertamur, multa ſunt quæ oſtendunt pilos excidere non quòd alimento deſtituantur, ſed pororũ & meatuũ vitio. Videre hoc eſt in iјs medicamentis, quæ pilorum denudatoria ſunt: græci ψίλωθρα, vocant, quale eſt ſandaracha, arſenicum calx, tithymalus & id genus ſexcenta, quæ erodentem, & vſtoriam vim habent: & inconſidera-
tius

tius adhibita, bullas excitant, cutem exulcerant & exurunt: quæ sane pilos educunt, non quod eorum materiam depascantur: sed quod pororum constitutionem vitient, & demoliantur: Hoc certius cognosces, si videris Coriarios animalium pelles & cruda coira præparare: In cortinas ea coniiciũt largéque psilothrum calcem nimirum, multa aqua affundunt, idque interpositis diebus reiterant, quoad pilus aut sponte excidat, aut trahentem facilè sequatur. At hic nullum alimentum (nullum enim præsens est) consumitur, sed porus rarior fit, & laxatur, consumitúrque (vt demus aliquid consumi) nõ quod pilum nutrit, sed album illud, si fortè est, quod paulo ante dixi pilo in quibusdam circumnatum, eum firmare magis & retinere. Quod autem eo modo rariores meatus, & pellis ipsa humiditate quadam laxior efficiatur, probatione nulla eget, quum hoc sensibus nostris subiiciatur. Quis enim est, qui non viderit pilis ita exutas pelles, adeò flaccidas esse, adeo non sibi consistere, vt totæ concidant, nec vnquam solidæ aut rigidæ effici possint, nisi poris rursus constrictis & coagmentatis? Hinc certè illud est, quod Coriarii iam depiles eas abluentes, in alias cortinas coniiciunt, inspersis corticum astringentium arborum, aut foliorum pulueribus depsunt, cogúntq;, & solidiusculas reddunt: in eum usum Rhois folia, lentisci, & myrti Cerdones assumunt: nostri homines, quia regio eos frutices non alit, quercus cortici-

bus

bus contenti, molis eas contundunt, cõtusisq; illes contritisque ijs aspergunt. Non adduco iam illud quod egregie affectus naturam ostendit, à iuuantibus & ledentibus sumptum indicium. Δηλοῖ δὲ, inquit Hippocrates, ἡ ἴησις, Et profecto hæc manifestissimè docet, pili vtrum ne ex alimenti proprij defectu excidant, an quod cutis vel sicca nimis & durior facta sit, vel pluplus æquo laxati sint & soluti. Galenus Cap. 2. pr. lib. κατὰ τόπους, vbi indicationem sumit ad firmandum defluos capillos (excipio iam mihi vbi alimentũ corruptum est) paucis verbis docte caluitij causas meo iudicio perstrinxit. In capillorũ defluuio, in-
" quit, primarium scopũ habemus, vt capitis habi-
" tum roboremus, & boni succi allationem procu-
" remus, cutemque ad densitatem ac raritatem mo-
" deratam reuocemus. His verbis videtur mihi v-
" trunque in cute excessum indicasse: nullã tamen defectus alimenti curam habuisse. Vbi cutis mediocriter se habet, pilos cõtinet, vbi siccior euadit, & plusquam decebat tenuatur, qualem in quibusdam ex ætate caluis senibus, siliceã quodammodo videmus, pili excidunt, vt pote, solidum subiectum, non ita tenue efflagitantes, Atque hic curæ scopus consistit in eo potissimum, vt boni succi alimentum eò vocemus, quo cutis nutriatur. nutrita & ad temperatam densitatem & raritatem reducta, pilos fulciat. Videtur mihi hæc dispositio cutis siccior non dissimilis Aegypto, quam

Nilus irrigat, & cum tota æstate (ut Cicero inquit) obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit mollitósq; & oblimatos agros ad serẽdũ relinquit. Nos quoque Nilum æmulãtes ladanum cum Galeno in hoc casu adhibemus, quod duo præstat: pulchrè humectat locum, sanguine eò temperata sua caliditate attracto, quo locus siccior nutriatur & temperiei restituatur: stringit etiam mediocriter, qua ratione locum roborat & firmat, etiam si in ea dispositione non magnopere retentiua facultas laboret. Ladano in ea siccitate addo subinde aliquid vrsinæ pinguedinis: ea enim & humectat & calfacit mediocriter, ídq; medicamentũ lentiscino excipio. Est & aliud pilorum defluuiũ, quod non extremam illam siccitatem sequitur, quod vt citius aduenit, & præcotius est, ita facilius etiam remedium admittit. Euenit hoc ex nimia cutis, et eius spiraculorum raritate, cum excrementi tenuitate: qua ratione etiam tibi capilli excidunt, atque hîc potius humiditas quædã ignaua, quam siccitas peccat. Curationis quoque scopum ex Galeni dictis colligimus. Nam hic capitis habitum roborare oportet, cutemque ad naturalem densitatem reuocare: éstque retentrix facultas magis incusanda. Retinet in hoc casu idem ladanum pilos lentiscino, vel myrtino potius, & his similibus mistum, astringit enim mediocriter, & partem roborat, & siquid præter naturam sit humidi, id sua caliditate discutit. At hoc modo nulla mentio fit

materia

materiæ pilos generantis, cuius inopia eos excidere Gal. dixit: scio, neq; vllam ab ipsius defectu indicationē in cura sumit. Nam ladanum non aduocat materiā fuliginosam, terrestrem, & viscidam, sed, vt inquit Gal. boni succi allationem procurat: cuius inopiæ ratione cutis arida facta est, & extenuata. Neque ex bono succo pilus, sed ex boni succi fuliginoso retrimento augmentū suscipit. neque eo solùm quòd in capite redundat, sed quod ex subiectis quoque partibus eò defertur, & ascendit. Constat igitur pilos non defluere quòd eis alimentum proprium desit, etiam si ea causa esse poßit vt longior pilus non euadat, aut nascatur. Vbi igitur Gal. X I. & X I I. Apho. V. sectionis defectum alimēti adducit in defluuio pilorum, quòd tabem subsequitur, & ferè perniciosum signum est, tu defectum alimenti nutrientis, & totum corpus, & capitis cutem intellige, non excrementi pilos protrudentis inopiam: nam etiam si hoc desit, tamen pilus eius ratione non excidit: sed quia cutis tenuior, & rarior reddita est, quæ mediocriter rara, & crassa esse debet. Ceterū quibus remedijs præter dicta à me, capilli tui firmari poßint, & alij regenerari, non opus arbitror hîc recensere, cum his explicatis, tu facilè ex rei natura poßis affectum curare. Quod si omnino etiam à me præscribi ea vis, hæc accipe. Leniter euacuato corpore abundè esse putarem lotionem factam ex lixiuij. part. duab. & vini astringentis part.

vna, incoctis capillis veneris, folijs myrti, & floribus aliquot stœchadis, eamq; sæpius reiterari: post lotiones continuo absterso capiti, interdiu etiam subinde linimentum aut hoc inducendum aut aliquod simile iudicarẽ ℞ oßium dactylorũ combustorum in vase æneo. ʒ. iij. capil. ven. ʒ. j. Ladani purioris. ℥. s. pinguedi. talpæ, vel serpentis, si haberi possunt, vel ping. vrsinæ (talpæ tamen mauelim) ʒ. iij. olei myrtini quantũ satis est fiat linimentũ. Poßẽ ego id genus multa tibi, si opus esset suppeditare, sed non decet ligna in siluam. Vale & Solenandrum tuum amare perge, vt ea quæ olim in communibus studijs Louanij incœpta primum, postea in Italia confirmata est nobis amicitia, immortalis existat.

Consilium secundum in Vertigine a frigida & humida cerebri intemperie, pro ciue Lucẽsi ad Antonium Minutolum Lucensem Medicum.

FRater tuus Antoni Minutole, voluit vt ad te de valetudine sua perscriberem, explicarémque paucis, quæ ego in ea obseruaui, quibus tu intellectis poßis illi salubriter consulere. Ego verò non solùm hoc officij præstabo amicißimo mihi peramanter, & officiosißimo homini, sed etiã motus ea neceßitudine, quæ mihi vobiscum, maximè

cum Hieronymo fratre intercedit, libenter altius paulò repetam omnem ipsius affectus naturam, causas, effectus denique: quid item sperandum mihi videatur, vel quid timendum: prætereà addam ea remedia, quibus ego eum restitui posse confido, vel à grauioribus affectibus præseruari.

Frater tuus autumno superiori incidit in popularem eum morbum, quo tum vniuersa Europa conflictata est, in dolorem nimirum capitis cum humoris defluxu in pectus, & febre: is hominem peius habuit tum tēporis quàm cæteros suos ciues, tandem tamen mea opera restitutus est. Succedente deinde hyeme (quæ hoc loci acerbior esse cōsueuit, quàm apud vos est, non longè ab Hetrusci maris tepescente littore constitutos) & iam frigore ingrauescente, cœpit de capitis frigiditate conqueri, quam ferè annos quatuor ex ordine hyberno tempore persenserat, quæ iam paulatim eò magis inualuit, quo erat à præcedenti distillatione imbecillius relictū caput, & quo minus voluit illud subrustico quodam pudore motus, tegumētis præter consuetudinem operire, & ab externo aëre defendere. Præter frigiditatē igitur, quam ipse actu percepit insignem, varia symptomata paulatim subsequi visa sunt: sensus omnes tam interni, quàm externi conturbari, aurium vigor obtundi, oculi caligare, lingua subinde balbutire, denique vt vno verbo expediam, neque interni sensus, neque externus vllus suum officium ritè facere.

Petit eo tempore ex me consilium, ego magnitudinem affectus consyderans qui principem partem occupauerat, adfero ea quæ mihi tum ex vsu videbantur: quibus multum, illo dicente, adiutus est. Sed quoniam illi inter homines versandum erat, nec posset se cubiculo in aëre temperatiore continere, nondum hactenus potuit omnino à me extirpari morbus, neque valde adnisus sum, differens in benignius curationi tempus, solùm contentus hominem à grauiori periculo, quod tum imminere videbatur, præseruare: quibus remedijs illud fecerim, non arbitror opus esse hoc loci referre, cùm ferè eadem mihi paulò pòst sint in curatione recensenda, sanè præter lenes per cochiaspilulas purgationes, & per pulueres sacculis insutos, capitis roborationem, sanè pauca memini me tentasse, quod aliquoties etiam herbis & floribus quibusdam, vt stœchade, saluia, betonica, & id genus alijs exhibitis efficere conatus sum. Symptomata quæ diximus, non continua sunt, neque hominem semper eo modo fatigant, sed pro ratione motus causæ ipsorum, hoc tempore leuius, illo grauius habent: causa verò eorum, qui morbus est pro ratione varia, aëris, exercitij, assumptorum, denique illarum quatuor rerum, quas Galenus in lib. de sanitate tuenda constituit, varia esse consueuit. Nam cœlo sereno melius, nubilo peius habet: frigido & humido aëre, & in aliqua insigni Lunæ cum Sole configuratione malè: calido & fficciori atque

diebus ab aspectibus vacuis bene habet. Et cætera eo modo pro ratione se habent. Hæc solùm voluit ad te scribi frater: verùm ego quæ sequuntur addo, quæ tu facile Medicus à medico accipies: quapropter minus mihi in eo laborandum est, nam tuo nutu solo promptè consequêris, quæ artis nostræ ignarus multis demonstrationibus vix capere posset. Quare ad rem venio. Symptomata quæ euenerunt, licet omnia ab eadem causa proueniant, & magna ex parte ad actionem læsam referantur, tamen inter se non parum differunt: & vt sensus visus, qui in oculis est, euidentißimus est, & maximè insignis, sic etiam ipsius oblæsio magis innotescit, & videtur aliorum defectus superare. Quapropter cùm is in fratre tuo plus quàm cæteri nocæ pertulerit, solet ferè ab ipso totus morbus vertigo nuncupari, quod etiam quàm plurimis aliis vsu venit. Nam omnia ferè symptomata morborum nominibus à vulgo habentur, & plerunq; ad ea Medici vocantur, morbis ipsis ab rerum ignaris non intellectis. Verùm siue vertiginem vocet omnem dispositionem, siue aliud symptoma (quæ huic plurima coniuncta sunt) nominarit pro morbo, perinde est, nobis sanè Medicis quærenda horum causa, qui morbus est, quiq; nostrã operam exposcit. Cæterùm cum sensus tam externi quàm interni in fratre tuo impediti fuerint, atque illi virtute animali persistant, eàque solùm inmediatè procedat à cerebro, certè morbus ipse in cerebro sit necesse est.
At

At cerebrum aliquando primogenio affectu laborat, aliàs alicui alteri subiectæ parti compatitur (licet & Galenus 3. de locis affect. 8. compassionem hanc, cum scilicet per alterius partis consensum afficitur, ipsi capiti ascribat) videndum quo modo cerebrum, & deinde quid patiatur. Ego sanè cùm constitutionem corporis fratris tui, & temperaturam principum eius partium considero, nihil inuenio quod reprehendi multùm poßit. Nam in omnibus alijs membris integra sanitas est: virtutes, vitalis, naturalis, vegetæ: hypochondria mollia, & expedita: ventriculus satis suum officium facit: stomachus commodè habet: quibus postremis partibus solet maximè consentire caput, vt in epilepsia, melancholia, quadam vertigine, & alijs multis videre est. Relinquitur igitur primò & per se cerebrum affectum esse: quod etiam nobis constare potest ex affectus perseuerantia, & pertinacia, & adiunctis symptomatibus, quæ in vno quoque sensorio noscuntur. Nam nisi in primo sensus instrumento vitium esset: vel in communi omnibus facultate, profectò non in omnibus sensorijs actiones diminutæ, & oblæsæ viderentur. Præterea non solùm impedimentum habent animales actiones, sentientes, & actiuæ, licet hæ minus: sed etiam principes (quas Gal. 1. de causis sympt. rectrices vocat) indicium certißimum cerebrum primario affectum esse: Cerebrum verò intemperiem pati frigidam, ipse frater tuus egregiè

persentit, qui ipso dicente iam aliquot annos niue, & glacie quid frigidius in capite persentit, quod etiam hac hyeme non potuit excalfieri, nisi tegumentis actu calentibus, frequenter adhibitis. Quòd autem frigida intemperies sit, eáque cum humore coniuncta, nulli dubium esse debet, quandoquidem non solùm sensus hoc docet, sed & ratio ipsa ex causis & effectibus ducta idipsum conuincit. Etenim oblæsiones sensuum hæ, & animales operationes diminutæ, & impeditæ non possunt ab alia intemperie, quàm frigida vel humida prouenire, licet non eodem modo: vel ab vtraque simul iuncta. Etenim calida vel sicca, contraria planè his inducit. Hinc est quòd interiores sensus omnes, imaginatio, cogitatio, & his magis memoria labefactati sunt, & diminuti: in exterioribus, oculi hebetes sunt, & vertigine leuiori aguntur: auditus diminutus, & in ipsius sensorio sæpe tinnitus, aliquando sibilus, aut alius strepitus persentitur. Odoratus minus promptus est solito. Lingua inter loquendum subinde hæret, vel saltem verba cum maiori difficultate format, & exprimit. Et quoniam facultas non integra per neruos omnes defertur, fit vt obdormiscere, & leui stupore teneri visa sunt membra quædam: hinc ille sensus, vt ita dicam, subtristis in extremis manuum digitis sæpe & multùm tanquam pungentium acuum perceptus. Quæ omnia non procedunt ab alia causa, quàm à frigido, lento, & crasso humore cerebrum

occupante

occupante, atque ipsius substantiæ imbuto, in eóq; similem sibi intemperiem frigidam, & humidam generante & fouente, à quo etiam subinde vaporosus quidam flatus ab imbecillo partis calore excitatus, & in capite inordinatè motus, efficit & in oculis, & in auribus prædicta symptomata. Ostendit etiam hanc cerebri intemperiem immodica illa dormiendi voluntas, & præter voluntatem subitæ à cibo in somnum delationes. Grauitas item capitis, obtusus in eo dolor, frons illa explicata & incontracta, decolor tamen, oculíque subtumido pallore deformati, omnes effectus sunt supradictæ intẽperiei. Causæ quæ hanc induxerunt, variæ & multiplices sunt: Externæ, incauta viuendi ratio in sex illis rebus à Medicis non naturalibus dictis. frequens & intempestiua venus multùm cõtulit. Aër Lugudunensis frigidus & humidus, propter interlabentia vrbem flumina, non parum fecit. Somnus semper statim à cibo initus, imò subinde in ipsa mensa, plurimùm præstitit. Nec illud innoxium fuit, quòd ex consuetudine soleat aperto capite tota æstate in publicum procedere: nam sic fit vt plures vapores & fuligines in caput attrahantur, quàm digeri & diffla-ri queant. Ex causis internis mihi maxima visa est calidum & humidum hepar, à quo vaporosus sanguis genitus materiam præbuit multorum vaporum in caput sublatorum: quod sanè non solùm eos facilè admisit, sed etiam imbecillius redditum

cum non posset discutere, paulatim agglutinauit: cui accessit natiui caloris in eo paucitas, vt neque proprium alimentum suum ritè conficere posset, nedum aliunde transmissa excrementa excutere. Præter hæc non parum mihi semper visa est huic affectui attulisse lues Gallica, qua aliâs ante decennium laborauit. Nam hoc à me ferè obseruatum est, eum morbum hoc facere in corporibus nostris, vt semper relinquat aliquam partem cæteris magis infectam, prout corpora alio & alio modo se habent, & in hunc vel illum, huius vel illius partis affectum, sint magis procliuia. Sic quosdam reliquit arthritide affectos, alios asthmate infecit, hos torquet catarrhis, illis aut cum ventriculo, vel hepate, vel renibus negocium facit: siue hoc fiat communi ratione, vt scilicet labefactatis per ipsum vniuersis corporis viribus, imbecilliorem sua natura partem magis afficiat, siue quod in diuersis corporibus pro ratione diuersi contagij in morbo magis hanc quàm illam partem natura perstringat & lancinet. Certè nulla pars eo tempore plus detrimenti passa est quàm caput, excussis ex eo omnibus pilis, tam congenitis, quàm post natis. Possem & effectus & causas huius morbi latius explicare, nisi Medico tibi homini docto hæc scriberem, cui satis fuerit solum ea indicasse. Quod ad morbi euentum attinet, profectò ego eum valde suspectum habeo, neque mihi dubium est, quin graue periculum sequenti hye-

lues venerea.

ti hyeme illaturus sit corpori, nisi tota hac æstate ingrauescenti malo subueniatur. Quod sanè cum difficultate fiet, quòd sit in principe parte: in ea cui non possunt commodè remedia applicari: quòd altè radices egerit, quòd in mentem repserit, non solum in corpus, agnoscis Hippocratis dictum: quòd longo tempore afflixerit. Tamen calidior, & siccior aëris constitutio, quæ nunc redeunte ad nos Sole instat aptissima huic curationi: præterea vires reliqui corporis integræ: ætas firma & consistens mihi spem faciunt adipiscendæ sanitatis. Ad quod etiam facit, quod ex paucis nostris remedijs incommodo tempore adhibitis plurimùm adiutus sit: nam ea symptomata superius à me enarrata non sunt omnia hoc tempore tam vehementia atque fuerunt. Quare operam dabit vt tuo consilio & opera vtriusque, venientibus morbis, vel paralysi, vel epilepsia, vel apoplexia, vel id genus similibus occurrat. Quod vt fieri queat, instituenda ea viuendi ratio, quæ in omnibus illis sex rebus non naturalibus ex vsu esse possit. Abstinendum ei erit ab omnibus cibis crassi, frigidi, viscidi alimenti, à cibis multos flatus generantibus, ab ijs qui difficile concoquuntur: ab omnibus illis, qui vel natura sua caput afficiunt, vel illud vaporibus replent. Quare etiam generosa, & caput tentantia vina linquenda sunt. Loco potionis mihi subinde

probatur aqua mellis bene cocta, iniectis vel saluiæ vel hyssopi folijs ad libitum. Vino tamen interdictum nolim: sed hoc & illa per vices vti eum velim, pro ratione temporis, & motionis morbi causæ, quæ ex Medico præsente semper discere poterit. Aëre vtatur, quoad eius fieri poterit, temperato: humidus & frigidus maximè noxius: & vtraque qualitate molestus, & alterutra nocens. Calidus etiam, si is in excessu sit, nullo modo admittendus: nam is & replet caput, & humores in eo contentos liquat & fundit, flatus excitat, & sæpe morbum hunc, qui alioqui latebat, prodit. Hinc videmus subinde pati hos cùm sub sole æstuauerint, vel iuxta ignem alioqui calefacto capite humores fusi, & agitati sint. Crassus item & nebulosus fugiendus. Siccus qui in alterutra qualitate non multùm exorbitat, maximè quærendus: declinet tamen potius in calidum quàm frigidum. Quare iuxta aquas dulces, stagna, lacus, paludes, non multùm morandum. Caput æstate tegatur leniter, nunquam nudum soli exponatur. Hyeme percommodè operimentis vestiatur, sed non grauetur. Somnus diurnus nullus vnquam sit, etiamsi nocturnus defuisset. Nocturnus sit exiguus, & solùm is qui ad vires animales vigilia dissolutas reparandas sufficiat: is fuerit sex vel septem horarum, Nam plus emolumenti ex vigilia quàm somno expectare in hoc morbo decet. Neque ineatur somnus nisi duabus

ad

ad minus horis à cœna exactis: non velim eum supinum esse, sed in alterutrum latus composito corpore: nam & hoc non parum facit. Animi affectus, qui exagitare spiritus possunt, vitandi: ex ijs maximè curæ, & tristitia, quòd hi frigidius reddant corpus, & imbecillius caput. Exercitio plurimo vtatur totius corporis, potissimum crurum, vel huius loco earum partium frictionibus. Neque velim id fieri in loco humido vel soli exposito, sed sicco: & potius in vmbra, verùm non in ea quam situs & vligine obducti parietes fecerunt. Fiat semper ante cibum, post eum satis est ad fallendum somnum lenis deambulatio, vel de rebus iucundis inter socios collocutio. Quomodo caput præterea exerceri velim, dicam in explicatione remediorum. Quod ad excrementorum expulsionem attinet, sanè necessarium est, vt de omnibus diligens ratio habeatur. Si venter non responderit secundum naturæ modum & consuetudinem, sollicitetur subinde aut pilula ex aloe ante cibum deglutita, vel auellanæ magnitudine terebinthinam veram assumendo eodem tempore: nam viscera prima expurgant hæc, membra roborant, & multos vapores cum humore in caput repentes reuellunt quasi, & aliò diriuant. Quapropter fieri potest hæc mistura, ex qua subinde ante cibum pilulam vnam degluiiat. ℞. Terebinthinæ veræ, si haberi potest, sin minus Terebinthinæ Venetæ: nam sic resina larigna dici-

 tur

tur à pharmacopolis ℥.s. Aloes ʒ.iij. agarici ʒ.j.s. misce, fiat pasta pro pilulis vtendis vt dictũ est. Vrina etiam potius ijs quæ in cibum veniunt sollicitanda, quàm medicamentis, quare fœniculo illud & apio, sio, & id genus alijs abunde est fecisse. A coitu quantum potest abstinere debet: nam si is naturæ modum excesserit, mirandum in modum capiti noxius est. Etenim illud plus cæteris partibus corporis afficit, vt non sine ratione Hippocrates paruam epilepsiam ipsius actum dixerit. Caput verò quibus debeat expurgari dicemus in remediorum administratione, quam nunc perscribemus. Curatio igitur (quãdoquidem nullum grauius symptoma nos ab ea auocat) facile institui potest cognito morbo, quem esse diximus intemperiem frigidã & humidã cerebri, cum multo humore viscido, & crasso, imbibito in ipsius substantia. Hæc curari debet: curabitur autem contrarijs frigida intemperies nimirum calidis, humida siccis. Verum id fieri nequit nisi prius humor tanquam ipsius morbi causa auferatur: at is auferri non potest nisi crassus principio attenuetur, & viscidus lentúsque abstergatur, incidatúrque: quæ cùm calidis, & nonnihil acribus, & amaris fieri debeant, quæ soleant immundo corpori, & humoribus onusto multum negocij facescere: consultum omnino est priùs quàm cætera omnia fiant corpus euacuare, & ab excrementis liberum

redd

reddere. Nam hæc vbi facta fuerint, & caput expurgari commodè poterit, & intemperies minori difficultate restitui, & vniuersum caput ita roborari, ne posthac aut aliunde tot excrementa recipiat, vel etiam frustrata coctione proprij alimenti ipsa ingeneret. Curationem igitur auspicare debemus à totius corporis euacuatione: quæ licet varijs modis fieri queat, duobus tamen solet egregiè administrari, sanguinis scilicet euacuatione, & purgatione. Hæc omnino opus habet: illam tuo iudicio relinquo. Quid tamen ego sentio dicam. Laudarem in corpore hoc satis bene formato, in ætate consistente: in hac aëris & tempestatis constitutione, in hepate calidiore sanguinis mediocrem detractionem: impedirentur enim hac ratione multorum ad caput vaporũ exhalationes: deriuaretur aliquid vna & eadem opera à capite: & naturæ superfluum demeretur nutrimentum: quo ea ratione exquisitè magis quicquid est in sanguine, aut partibus crudũ, aut pituitosum concoqueret. Præterea hoc adhibito remedio cætera poterunt tutius applicari. Verum qua quantitate fieri hoc debeat, relinquo arbitrio præsentis Medici. Ex qua verò vena administrari, neque in eo me difficilem præbeo. Si placeret ex media alterutri brachij, non refragor. Ex hæmorrhoidibus summopere laudo quòd κατ' ἴξιν è capite detractio fiat, & quòd magna ex parte sint venæ portæ,

& mes

& meseraicarum soboles, quæ hypochondria egregiè euacuant, & hepar nonnihil refrigerant. Purgationem hoc modo velim administrari. Principio placeret mihi vt hunc bolum assumeret potius quam quoduis aliud medicamentum.

℞. Catholic. ʒ vj. diaphœnici, specierum hier. s. Gal. ana ʒ j.s. cum Zaccharo fiat bolus, detur inuolutus hostijs, vt vocant, madefactis vino horis tribus ante cibum. Expurgat sine molestia primas venas, ventrem, omnes humores æqualiter, sed pituitam plus cæteris, & crudum humorem. Sequentibus deinde ex ordine diebus assumat mane in aurora calidè sequentem syrupum, & superdormiat si potest.

℞. syrup. stœchadis ℥ j. Oximellis s. Mellis rosacei ana ℥ s. decocti sequentis ℥. iiij. misce pro vna potione, & continuet diebus septem.

℞. Seminum pœoniæ excorticatorum, Coriandrorum præparatorum ana ℥. s. Saluiæ, Betonicæ, Cichorij integri ana m. j. Epithymi m. s. Liquiritiæ ras. ʒ iij. florũ rorismarini p. j. s. coquantur in aqua pura q. s. secundum artem, coletur, clarificatum aromatizetur cinamomo, & nuce moscata, & seruetur pro syrupis. Post alterũ syrupum assumptum si visum fuerit, poterit illi vt superius diximus, aliqua aperiri vena. Omnibus deinde epotis deglutiantur subscribendæ pilulæ, manè in aurora, & contineat se eo die domi.

pilulae // ℞. pilularum cochiarum ʒ. j. pil. fœtidarum

darum ℈. j. trochiscorum alhandal grana iiij. mixtis omnibus cum oximele, fiant pilulæ numero vij. & deaurentur. Hæ pilulæ mirificè educunt frigidos, crassos & lentos humores, idque potißimum à capite: sunt interim probatißimæ, & sine exagitatione nimia corporis possunt tutò exhiberi. Quòd si hæc eadem purgandi ratio reiterari debeat, relinquendum iudicio præsentis Medici. Hoc modo expurgato corpore vniuerso, deueniendum erit ad partem affectam, ex qua etiam frigidus, & crassius humor, lentúsque eliciendus venit: deinde intemperies tollenda: & postremò pars roboranda: quod licet ferè eisdem remedijs fiat: tamen ea primùm recensebo quæ partem affectam, hoc est, caput ipsum expurgant. Expurgari potest caput insensili euacuatione, & ea quæ oculis nostris exposita est. Hæc potißimum administrari debet, quòd humor crassius facilius per meatus patentes educatur & decliues, quâ sponte sua vergit, quàm quòd difflatur sursum insensibiliter: illam tamen non velim omitti: quandoquidem non tam seruiet euacuando humorem, quàm attenuando, & incidendo eum, & ad faciliorem eductionem præparando. Manifesta eductione, elicietur per os & fauces tam gargarizatione, quàm apophlegmatismo aliquo. Item per nares tam sternutamentis excitatis, quàm liquore aliquo attracto, qui humorem

in

in capite dissoluat, dissolutúmque proliciat: ídque potissimum quòd hoc tempore nihil aut exiguum admodum pituitæ naribus extillet obstructis crudo & crasso humore oßibus illis quæ à Græcis ἠθμοειδῆ dicuntur, vel etiam, id mihi est verisimilius, quòd humor nocens in mente sit, non in corpore, hoc est, quòd substantiam ipsam cerebri occupauerit, & in ea insederit ipsiúsque insensilibus meatibus, temperiémque ipsius labefactauerit: nō autē natet in corpore ipso, hoc est cerebri ipsius vētriculis capacioribúsque cōcauitatibus: quapropter, nisi fallor, nihil quod effatu sit dignum educi poterit vel errhinis, vel apophlegmatismis: debent tamen administrari. nam qualitate sua calfacient & siccabūt. Insensibili verò euacuatione digeretur varijs modis, capitis scilicet leni frictione, tàm asperiore linteo aliquo, vel spongia recenti (si ea haberi nequit, veteri saltem incocta lixiuio, quod dissoluerit nonnihil salis nitri, & saluiam & rorismarinū infuderit) quàm perpectinis attritum administrata. Item lotione, pulueribus inspersis, aut sacculis capitalibus insutis, capitique impositis, & id genus alijs, quæ quo modo, & ordine administrari velim accipe. Interim dum corpus purgatur, capiti nihil admouebitur quod egregiè mouere poßit, solum singulis diebus exercendum frictione leni, & pectitionibus. Pòst quàm absoluta fuerit corporis

purga

purgatio videretur mihi multùm profuturum, si cucurbitulæ scapulis cum scarificatione admouerentur, & aliæ posteà paulò inferius, sed leues: tum veniendum ad partem hoc modo exercendam. Manè priùs quàm cubiculo egrediatur expurgandum caput emunctione narium, expuitione frequenti, è palato extracta, aures emundandæ, pòst & pectinis attritu, & linteo vel spongia sicca ita fricetur, vt leuiter incalescat: quæ omnia velim ab ægroto obiri. Tum gargarizandum decoctum saluiæ, rad. capparum, nucis moscatæ, rosarum, addito oximelle aliquando simplici, aliâs scyllitico, sed pauco. Naribus etiam velim attrahi sequentem liquorem, quod eodem die fieri potest, vel mutatis vicibus, alternis diebus, nunc hoc, nunc illud adhibeatur: quod etiam de errhino, & apophlegmatismo paulò pòst dicendo intelligi volo. Liquor hic esto.

℞. decocti rad. ireos, maioranæ, saluiæ ℥ vj. Succi radicum cyclaminis ℥ ij. Mellis rosacei, Aquæ vitæ ana ℥ j. misce, attrahatur tepidum in nares. Quòd si prima vice persentiatur acrius, mitigari potest adiecta aqua maioranæ, vel dempta succi parte. Hæc vbi facta fuerint statim dentibus conteret longa masticatione vnum ex his trochiscis.

℞. Rad. pyrethri, Nucis moscatæ ana ʒ ij. radicum capparum ʒ j. masticis ℥ j.

cum

cum cera pauca fiãt trochisci masticandi, pituitam
ore collectam continuò expuat. Horum loco ali-
quando simplicem mastichen, aliquando nucis
moschatæ partem ore contentam mãdet. Errhina
etiam hæc naribus vtrisq; immittenda, & conti-
nenda, donec calore suo aliquid in capite dissol-
uant, & per sternutamenta eliciant. Ea sunto.

℞. Ellebori albi. ʒ.j piperis longi. S. staphisa-
griæ ana ℈.j.s. Nucis moscatæ, Cardamomi, Ga
ryophill. ana ℈.j. cũ gummi tragacãthæ dissolu-
to in aqua maioranæ q.s. formentur nascalia ob-
longa garyophillu paulò maiora & longiora, impo-
nenda naribus. Puluerata etiam hæc possunt per
calamum insufflari. Vsus horum erit, vt cætero-
rum, ante cibum manè eodem tempore, quo alijs
vtendum dixi, vel alternis diebus, quod curam
administranti Medico relinquendum. Interim
dum hæc fiunt tegumenta capitis, quibus noctu
vtitur, suffitu ex sequenti puluere excitato ex-
calfient idq; toto anno, & interdiu velim deferret
sacculum hunc totá æstate minorem, hyeme qui
byretri forma totum caput cingeret.

℞. Sandarachæ Arabum, Thuris ana ℥ s.
ligni aloes ʒ iij. Saluiæ ℥ j. s. contusa fernen-
tur in vsum. Sacculus hic qui sequitur.

℞. Sandarachæ, Thuris, rosarum, camomillæ
stœchadis, maioranæ, nucis moscatæ, granorum
iuniperi, piperis longi ana partẽ vnã. Cubebæ, Ga
ryophill ligni aloes ana part. semis, puluerata mi-
sceantur

ſceantur, & cum tomento vel cimatura panni ſcar latí, fiat ſacculus interbaſſatus ex ſerico. Neque arbitror æſtate huius calorem ſuſpectum eſſe debere: quod ſi fuerit, relinquo præſenti Medico calidorum quantitatem minuendam. Sacculus vbi aliquando vapore capitis madeſcit, exiccandus venit ſuffitu ex præcedenti puluere. Tota æſtate placet etiam, vt ſingulis ſeptem diebus lauetur ei caput lixiuio facto ex cineribus iuniperi & roriſmarini q̃d deinde infuderit per horas 24. quæ ſequuntur.

℞. Serpilli, florum camomill. maioranæ, roſarum, matricariæ, roriſmarini, lauendulæ ana m. ſ. Agarici ligati in lineo panno ʒ. iij. Baccarum lauri. radic. iridis, radic. aſari ana ℥. ſ. Lixiuij libras ſexdecim: quaternis item quibuſque diebus ante cibum extergatur ei caput furfuris ſiccißimi affrictione, cui ſalis tenuißimi ſexta vel octaua pars ſit admixta. Auribus aliquando gutta vna aut altera olei inſtillanda, vel laurini, vel amararum amygdalarum, vel coſtini aut ijs ſimile aliud. Hæc ſunt quæ ex vſu mihi videntur, verùm cùm hi morbi ſoleant nobis multùm negotij faceſcere, & egregiè etiam egregia remedia contemnere, non mihi videtur præter rationem, ſi ſtatim expurgato vt ſuprà corpore vteretur ad aliquot dies decocto ligni Guaiaci ſimplicis: nã hoc excalfacit, & exiccat, quicquid crudum in vniuerſo corpore concoquit, craſſum attenuat, viſcidum incidit, lentum abſtergit: quic-

quid aquosum dißipat per vrinam, vel per habitum corporis sudore digerit: adiuuante ad hoc multùm tenui illa victus ratione, quæ à nobis secundum rationem adhiberi solet. Ex aqua præterea aliqua medicata calida & siccâte ἰμβροχὴ, ducciam vulgo vocant, per multos dies adhibita totum morbum radicitus euellet, vt spero: neque satis arbitrarer semel in anno adhibuisse, sed bis, térve intermisso tempore reiterare vellem. Italia permultas habet, quas ego probo, sed mihi maximè probatur vestra de Corsena, illa nimirum quæ balneo contigua est, vel quæ in inferiori loco excellentißima habetur: præter Coronã vel Desperatam (quòd tales morbos curat) dictam, nullam aliam velim admitti. His omnibus actis, & interim dum aguntur placeret mihi aliquando vsus pilularum sine quibus dictarum, aliquando huius electuarij, quod quidam ignobiles autores Hippocratis Theriacen vocant. Ego non semel eius vsu similes, & eo grauiores morbos curaui.

℞. Succi absinthij, succi marrubij, succi stœchadis, masticis, rhabar. chamædrios, chamæpityos ana ℥ iij. hyssopi ℥ ß. Agarici boni ad pondus omnium, puluerisentur omnia subtilißimè, & excipiantur melle cocto, detur manè à ʒ ij. ad ʒ v. in decocto stœchadis. Huius loco si placet. ℞. Theriacæ bonæ antiquæ, vel mithridacij boni, conseruæ florum, betonicæ vel saluiæ, vel anthos, ana partem. j. conser. rosarum

℥. ij. cum melle anthosato. fiat electuarium.

Paulò antè vbi dixi de localibus medicamentis hoc volebam addere, quod si non fuerit commodum vti embrocha, placeret vt per spongiam foueretur exteriùs caput hoc decocto.

℞. extremitatum absinthij, rad. peoniæ, rad. pyretri ana, coquantur in aqua, & eius vsus sit ieiuno ventriculo, maximè quando praecedentibus diebus vsus sit suprascriptis pilulis. Quòd si horum vis non suffecerit, hoc est, quod sequitur, in eodem casu efficacius.

℞. Rutam, scyllam, Serpillum, Satureiam, sepæ ana trita & oleo camomillino incocta cum melle excepta lana succida, tepida capiti abraso applicentur. Proderit subinde ituro dormitum, deglutisse pauca aliquot grana mastiches, vel thuris masculi, vel peoniæ semina, sed hæc primùm leniter dentibus contrita.

His remedijs Antoni Minutole ritè vt decet, adhibitis vel etiam paucioribus spero fratrem tuum, licet difficile, tamen restitui posse: quæ ego prolixiùs scripsi, non otij (sum enim occupatissimus) sed amoris mei erga tuos abundantia, quæ æqui bonique consules. Tu multo illi meliora fortè præscribes, tamen hæc vt officio meo amātissimo mei non deessem, ad te mittere placuit. Iam præscriptis omnibus intelligo matrem vestram honestissimam matronam aliâs in paralysim incidisse, vel similem illi morbum (non enim nomen

morbi nouit) eámque fratrem tuum corporis constitutione permultum referre: quod si verum est, profectò reddit hoc malum mihi multò magis suspectum, & difficiliorem curationem minatur; sic enim solent morbi hæreditarij. Perscripto consilio adhibitus alter medicus, (quod etiam te scire volo) consuluit inunctionem ex argento viuo idque his rationibus. Quandoquidem frater tuus aliàs lue fuisset infectus Gallica, eámque diu pertulisset non adhibito principijs remedio conuenienti, quapropter altius ea radices egisset. Præterea ex his symptomatibus multa esse morbi Gallici, imo affectum ipsum inde originem duxisse. quem cum non perfectè curasset lignum guaiacum iam secundò exhibitum, omnino ad alterum ipsius alexipharmacum, nimirum argentũ viuum tanquã ad sacram anchoram confugiendum esse. Addebat ex argento viuo inunctionem materiam nocentem expurgare per os, quæ capiti expurgando conuenientißima esset a natura via data: quapropter hoc remedium omnino tentandum, maxime cùm vidissemus, aut parum aut nihil eductum esse ex capite nostris errhinis aut apophlegmatismis. Cuius consilio non potui non vehementer refragari multis rationibus, ex quibus paucas has accipe. Morbum fratris tui non amplius Gallicum esse plane sum certus: neque quicquam Gallicæ luis sapere: verum quidem hoc est, vt dixi, eam frigidam & humi

humidam cerebri intemperiem in quam naturâ sua á puero inclinabat frater, citius & vehementius se prodidisse propter luem Gallicam, quam fecisset, si omnino fuisset hactenus ab eo malo immunis. Tamen hoc tempore nihil eius retinere eum, multis rationibus probare possum: quare solum calidis & siccis, iisque cephalicis potißimum remedijs, morbum oppugnandum esse censeo. Scio equidem argentum viuum inueteratam luem Gallicã post omnia alia remedia frustra tentata sæpenumero curasse, expurgato & educto multo humore, phlegmate potißimum per os, sed quod non expurgasset è capite solum, sed ex vniuerso corpore. Iam autem totius corporis excrementa, si aliter fieri potest, non sunt ducenda per partem affectam, aut ei vicinam, sed quàm longißime auellere & auocare ab ea conuenit: quare in hoc morbo tui fratris argenti viui vsus mihi non videtur conuenire, quòd non solum materiam peccantem ad os, capiti vicinam partem, pellat ex vniuerso, sed etiam sua quadam naturali vi inimicũ sit cerebro & generi neruoso omni. Quemadmodum enim cantharides vesicam mirè afficiunt etiam capiti appositæ: ita argentum viuum egregiè capiti nocet extremæ licet alicui & quam longißimæ dißitæ parti applicatum: & quemadmodum illæ per vesicam è corpore sanguinem aut colliquatam è carne saniem, euocant exulcera-

tis partibus internis: ita hoc pituitosam colluuiem per os ducit, ex varijs corporis partibus traiectam. Hinc fit vt qui argentum viuum tractant, aut qui circa minium vulgare, aut circa antimonium versantur, aut in locis subterraneis id genus metalla scrutantur, omnes aut apoplexia abripiantur, vel in epilepsiam incidāt, aut paralysi corripiantur, uel tremore membrorum laborent. Nos curauimus plures cum alibi tū Luguduni, quorum quidam spasmo cynico altero sæpius correpti sunt, alij paralytici facti, nonnulli trementibus essent membris: quibus omnis morbi causa solummodo contracta fuit ex diutina conuersatione cum antimonio, cùm eo ad typos & literarum characteres fundendos vterentur. Quot quæso passim videntur, proh dolor, homines aliâs quòd lue Gallica essent infecti, ex vsu argenti viui in grauissimos capitis & neruosi generis morbos incidisse, iisque continuo detineri? Quòd si ex ipsius vsu tot tantásq; noxas contraxerunt, quibus, in cerebro aut genere neruoso nihil fuit præter naturam, quid quæso non expectabimus mali ex illo in homine, cui solum caput & per consensum nerui patiuntur, cæteris partibus illæsis? neque in eo qui patiatur qualemcunque morbum, sed eum quem potissimum argentum viuum inferre consueuit? Verum adferunt argentum viuum per os vacuare, eámq; naturæ commodissimam viam expurgando

capi

capiti. Concedo vtrunque: sed vnumquodque per se separatum: nam coniunctum pernego, idque maximè si inde ducatur ea conclusio, quod huic applicandum sit, quia per os materiam ducat. Nam caput quidem expurgare decet per os quemadmodum & per quædam alia conuenientia loca: sed non eo medicamento quod sua natura cerebro & neruis inimicum est, nec minus eo quod vniuersum corpus per os euacuat. Placet expurgetur caput per os, per nares, & quauis alia via, sed medicamentis ijs, quæ capiti in hoc morbo obesse nequeunt: qualia multa sunt ex materia medica in errhina, apophlegmatismos, & id genus alia medicamenta ascita. Quod autem dicit Medicus in exigua quantitate prudenter applicandum, atque ita non obfuturum, id sanè fieri nequit. Nam si aliquis ab eo effectus expectãdus est, exhibeatur necesse est, ea quantitate & modo, vt humoribus agitatis & fusis, eum producat: quo tempore etiam venenosam suam vim cerebro & neruis imprimat oportet: nam ea est ipsius proprietas & natura, vt interim hic nihil disputẽ de ipsius primis qualitatibus. neque potest tam prudenter adhiberi quin huic affectui noceat: non enim ipsius natura ita infringi potest, si materiam per os ducere debet. Quòd si frater tuus fortè fortuna laboraret tophis illis, & periostij in artubus doloribus ex Gallico morbo relictis (vt sæpe & multùm

videmus) nulla interim frigida & humida insigni intemperie cerebrum occupante, sanè & ego laudarem ei ex argento viuo inunctiones, nam tales sæpenumero affectus post alia remedia adhibita his percuraui. At tale nihil in tuo fratre, omnibus in eo ritè se habentibus, excepto solo cerebro, quod laborat. Hæc & quædam alia me mouent, quare omnino ex argento viuo hoc tempore inungi eum nolim: ego sanè mihi persuadeo si huc res veniret, eum aut apoplexia aut paralysi correptum iri, priusquam bene curatio incepta esset: quare volui hæc cætera adiuncta ad te perscribere, vt quibus remedijs tutò & securè vti possit frater tuus nos certiores facias. Lugduni.

Consilium tertium in sonitu in auribus ob sensus audiendi exquisitam acrimoniam pro ciue Vesontino.

ADrianus hic Musicus symptomate tenetur, quod ad deprauatam actionem pertinet in sensorio auditus: quandoquidem percipit continuum susurrum, aut leuem sibilum in auribus, non diminuta, neque abolita partis actione. Percipit enim omnia, eáque eo modo quo sensorio obiecta sunt. A quo morbo hoc symptoma nascatur, videndum. Cùm ego totius corporis constitutionem, & maximè capitis considero, animaduerto biliosam satis esse: quandoquidem macer est, calidus

calidus, iracundus cum rubore subpallidus, vigilans, sensibus omnibus exquisitis, acri ingenio & viribus satis integris: hæc tamen constitutio paulatim in melancholicam prona est, & declinat. vrinæ hoc etiam ostendunt, quas egregiè tenues, flammeo colore, biliosas, licet concoctas inuenio. Caput insigniter naturâ calidum: ostendunt pili, color faceti, venæ in oculis rubentes, tumidæ satis & patentes, & tota denique ipsius configuratio: & excrementorum ex eo tum qualitas tum quantitas. Hæc inquam cùm considero, non possum huius symptomatis causam, morbum scilicet referre ad obstructionem à frigido aliquo & crasso humore, in auditus instrumento, neque minus ad flatum & vaporosum spiritum à debili calore excitatum & simili materia & inordinatè in cerebro motum vt consueuit in hoc symptomate, & vt solet in quadam vertigine. Nam si ex tali causa procederet, longè diuersus, vel saltem varius pro varia & diuersa causa sonus perciperetur, quàm percipitur. Nam aliquando tinnitus, aliâs strepitus, quandoque sibilus, nonnunquam fragor quasi currentium fluminum, & cautibus illisorum, vel rei ex alto cadentis, vel musicorum instrumentorum, aut venti reboantis, vel id genus simile perciperetur, pro quantitate, qualitate, & motus genere, eorúmque differentiis: at nihil percipit, quàm leuem susurrum & quasi sibilantem, & leuiter motum perque angustos meatus illapsum

aërem. Si esset ex causa frigida aut flatu, fieret aliquãdo dolor, aliàs tẽsio, fere semper grauitas capitis, essent vt plurimũ quidã alij sensus vel externi, vel interni hebetes: in auribus esset auditus diminutus: at in eo nihil tale: capitis nulla grauitas: nullus dolor: sensus omnes interni, cogitatio, imaginatio, memoria expediti: externi item, visus, auditus (quod notari summopere debet) gustus, odoratus, tactus, omnes viuidi. Quare arbitror ex nulla alia causa fieri quàm ex sensu auditus nimis perspicaci, nimis intento, & magis quàm decet exquisito, & acuto. Videre est hoc apud Galenum multis in locis, & maximè lib. 3. de compo. sit. medicamentorum secundum locos, licet nullum eius affectus proprium signum ex arte ibidem ostendat: Attestatur etiam super hoc, quod videatur paulò nunc quàm solet, expeditius auribus omnia percipere: & quòd omnes animales facultates sint inculpatæ in cæteris sensibus: verùm magis exquisitus fieri consueuit à calido. Etenim vt frigida intemperies labefactat omnes operationes corporis, diminuendo eas, sic calidior magis intendit & exquisitas magis quàm naturalis status requirit, reddit maximè animales. Nam ob spiritũ ad sensum subministrãdum à natura comparatorum caliditatem: item subtilitatem nimiam, tenuitatem exquisitã, sensus acutior fit, ita vt vel minimã spirituum motum percipiat, qui se ob prædictas causas sæpe & multum incitant, etiam absque

vllo sensus obiecto, vel speciei extrinsecus illabentis occursu aliquo. Iam autem constat sanitatem in omnium mediocritate, & certa proportione consistere. Quòd autem hæc ita se habeant, causæ, quas diximus, facilè ostendunt: & illud præterea docet: quòd hyeme melius habuerit quam nunc temporis habeat, aut æstate superiori, manifestum ductum iudicium ex causis iuuantibus & lædentibus: quandoquidem caliditas obesse, frigidum exterius profuisse visum est. Possem ego pluribus hanc meam opinionem comprobare, sed hæc suffecerint. Quod ad curationem attinet, ea ex morbi cognitione instituenda venit. Morbus meo iudicio est simplex intemperies sensorij auditus, calida & sicca, quæ tamen non longè processit: & facultas ob eam causam prompta magis quàm opus sit. Ea auferri debet contrarijs, frigidis scilicet & humidis modicè: quare non velim id fieri multùm medicamentosis. Placeret vteretur aliquando syr. ros. sol. Aliquando tribus, vel quatuor pilulis, ex hac pasta conformatis, assumendo eas post primum in nocte somnum.

℞. Pilularum azaieret ℥. ij. pilul. sine quibus ℥. j. s. aurearum ℈. j. s. cum syr. ros. sol. fiat pasta. Postquàm assumpsit has pilulas semel aut bis, velim abluat caput aqua simplici fluuiali incoctis violis, rosis, folijs senæ, sed paucis, folijs salicis, floribus nymphea, eámq; ablutionẽ reiterari decet, ablutum caput exiccandum & inungendum

gēdum oleo rosaceo, violaceo, instillatis aliquot guttis aceti. Auribus instillari placet quod sequitur.

℞. Succi solatri, Lactucæ, Mucilaginis. s. psillij, Olei violacei ana ℥ s. succi hyoscyami, vini albi dilutioris ana ℥. ij. coquantur ad vini cons. in duplici vase, coletur, instillentur auribus paucæ guttæ tepidæ: deinde obturentur gossipio. Nihil præter hæc velim medicamentorum applicari: scitem suadeo vt post primas pilulas curet sibi applicari duas cucurbitas scapulis cum scarificatione, & duas natibus sine scarificatione leues. Quòd si fortè fortuna hæc hominem in integrum non restituerint, faciat me certiorem de omnibus, & de rerum successu: Ego medicamentum deinde ex meo suppeditabo, quod hominem omnino percuret. Quod ad rationem viuendi attinet, sit ea cauta & sobria: à vino abstineat potenti & integro, bibat tenue, dilutum, & velim claudi prandium simplicis aquæ potione: cœnam autem comestione lactucarum nunc coctarum, æstate viridium. Non vescatur raphano, cæpis, allijs, cibis conditis aromatibus. Idibus Aprilis apud Sebusianos.

***

Consilium quartum, Pro mercatore Argentinensi surdastro & aurium tinnitu laborante.



FFECTVS qui hunc virum, expertissimi Medici, iam longo tempore malè habuit, & de quo continuò conqueritur, non morbus est, non causa morbi, sed symptoma, effectus scilicet à morbo productus. Est enim in actione vitium, quod vnâ cum qualitate aliena, & ijs quæ à naturæ instituto mutata excernuntur, sub symptomatum genere continetur. Verùm actiones læduntur, & vitium contrahunt, vario modo: nam abolentur aliquando, aliâs deprauantur, nonnunquam imminuũtur, vel alio modo se habent, ad quorum numerum hoc omnino reduci debet: quod cùm considero, non ex ijs vnum solum inuenio vitium, sed ex suprà dictis coniuncta duo. Quandoquidem huic viro actio auditus diminuta est, cùm voces exiguas non percipiat, magnas autem non promptè, & solùm cùm ipsi in aurem altè numerantur. Verùm non illa solùm, sed etiam deprauata: nam subinde audire se putat sonos, quos non audit, nimirum sibilos, tinnitus, strepitus, & id genus alios, sentiendi facultate, falsa sonorum specie, delusa: quod etiam in omni alio externo sensu subinde in casu haud dißimili obseruamus: sic visui omnia lutea sese ostendunt in morbo regio:

gustui

guſtui pleraque vel ſalſa, vel amara, ſe offerunt
in iјs quibus vel amara bilis linguæ & ſuperiori
ſtomachi parti, vel ſalſa pituita inſinuauit, & ita
ſimile quiddam in cæteris ſenſibus inueniri po-
teſt. His ita ſe habentibus, quærendus morbus ve-
nit, cuius hæc actio læſa affectus eſt. Si diligenter
rei naturam excutimus, ſi antiquorum Medico-
rum ſcripta excuſſa, egregiè intelligimus, inuenie-
mus duas potiſsimùm huius affectus cauſas: nam
Galeno docente, lib. 3. de compoſ. medic. ſecun-
dum locos cap. 19. fit hæc deprauatio auditus ali-
quando ex ſenſus acumine vt plurimùm tamen
ex incluſis flatibus, frigida magna ex parte intem-
perie cum humore hanc diſpoſitionem fouente. Ne-
que vlla alia fuit antiquis cognita cauſa, quæ præ-
ter has duas, hunc effectum inducere poſsit: neq;
nos noſtra induſtria poſſumus aliquid cogitatione
conſequi, quod non in horum numero inueniat lo-
cum. Verùm vtriuſq; facilis diſtinctio eſt, quem-
admodum in rebus contrarijs omnibus ſolet prom-
ptè hoc diſcrimen dignoſci. Ex ſenſus acumine &
ſubtilitate, omnino contraria euenire ſolent quàm
conſueuerunt ex flatu, vel frigido aliquo humore
incluſo fieri. Nam vt in hoc caſu impeditus eſt
ſenſus ob ſpirituum craſsitiem, impuritatem, tur-
bulentiam, frigiditatem, & deprauatam inſtru-
menti conſtitutionem: ita in illo, propter ſpirituum
puram ſubſtantiam, ſubtilem, calidam, & in-
ſtrumenti laudabilem conſtitutionem, ſenſus plus
æquo

æquo est expeditus. At quia in hoc nostro ægro torpet non ab alia causa, quàm frigiditate fieri potest: Etenim frigiditas operationes imminuit, quemadmodum caliditas vt plurimum corrumpit, vel intensas reddit. Cùm igitur hic sit non solùm imminuta actio, sed ferè abolita, non potest sanè ab alia prouenire quàm ab intemperie frigida. Si quid ergo intelligo arbitror hæc sympromata nostro huic ægroto euenire à flatu, à frigido humore, & à simili huic intemperie excitato: & secundum quantitatem vel qualitatem, & cæteras id genus conditiones vario modo se habere. Etenim plurimùm refert, multus is sit an paucus, crassus an tenuis: item quo modo moueatur, lentè an celeriter: quandoquidem pro horum differentijs varios sensorio sonos repræsentat. Nam si multus sit, crassus, & celeriter moueatur, sensorio exhibebit similitudinem aquæ rapido cursu cum fragore fluentis, vel tympani, vel id genus instrumentorum musicorum, vel venti reboantis, vel eius generis similia. Quòd si paucus sit crassus & celeriter moueatur: arboris confractæ aliquam, vel domus collabentis, subitaquê ruinæ vel catadupæ præse speciem refert: Quòd si multus sit, tenuis tamen & celeriter moueatur, sibilum excitare solet, & torrentis cuiusdam lenioris imaginem. Si verò paucus sit, tenuis, & celeriter moueatur, tinnitum excitat, & eum strepitum quasi, qui exaudiri solet ad an-

gusta ædium foramina, si quando insignis ven-
tus perstrepit, & se insinuat. Quod si verò
multus sit, crassus, & non celeriter, sed len-
tè moueatur, solet magna ex parte murmura
excitare, vel id genus similia. Si autem pau-
cus sit, crassus, & lentè moueatur, exaudiri
facit susurrum. Quando autem multus fue-
rit, tenuis, & lente moueatur, sibilum excitare
consueuit: quas omnes differentias non opus habeo
hîc recensere, quòd parum faciant ad præsentis
affectus curationem: tamen vt ea se mihi habere
videntur, ita volui vobis proponere. Iam conside-
randum venit, quæ pars, propriè in hoc ægrotante
sit affecta: nam & ipsius naturæ cognitio, per-
multùm facit ad curationem ritè instituendam.
Certum est vitium esse in sensu auditus, sensus
autem vitium fit vel ob instrumenti aliquem mor-
bum, vel ob facultatis communis imbecillitatem,
quæ cùm soleat vt plurimum in decrepitis, & à
longo, & difficili morbo conualescentibus, reso-
lutis cum calido natiuo spiritibus, accidere, atque
omnibus sensibus communis esse, non potest accu-
sari in hoc nostro patiente, quòd is sensibus expe-
ditis est, & illæsis, in ætate florenti, corpore bene
sanis constituto, nec qui iam longo tempore sit gra-
uiorem morbum passus. Certè mihi omnino dicen-
dum videtur, morbum ipsum esse in instrumentis
ipsius auditus, quæ licet sint varia, tympanum
scilicet illud (quod vocant) membrana extensa,

quæ oßicula tria à diligentißimo vesalio primùm monstrata incudem, malleum, & pertusum trigonum complectitur: tamẽ vt in oculo est crystallinus humor proprium visus instrumentum, licet alij multi sunt, & humores, & tunicæ: ita in auditus sensu proprium instrumentum haberi debet neruus quem vocamus auditorium, à quinta coniugatione è cerebro natorum, productus, & in membranam supradictam dissemínatus, & sparsus, atque huius partis hunc proprium morbum existimo: neque eum simplicem aliquem, sed duorum generum, nimirum obstructionem, & intemperiem, atque eam compositam cum humore, ipsis particulis imbibito, qui & obstructionis causa est, & intemperiem genitam fouet. Quòd autem is humor frigidus sit, crassus, viscidus plurimósque flatus excitans, iam diximus, & causæ idem ostendent: Scio equidem aliquando ex calida intemperie hoc symptoma superuenire, vt ex multis aphorismis cognoscere est. Quibus in febribus aures obsurdescunt, inquit Hippocrates 4. Aphoris. 60. & item 4. Aphoris. 28. Quibus biliosæ deiectiones. vt & passim alibi. Sed iste affectus ferè solet in acutis febribus fieri, & exiguum temporis perdurare: cognoscitur ex caloris sensu, qui in capite persentitur: nulla ei capitis grauitas, & calfacientibus irritatur, contrarijs mitigatur: quorum nullum in nostro ægroto, sed propè

 omnia

omnia oppoſita. *Nam perſentit capitis vt plu-*
rimùm internam grauitatem, ſenſum ſæpe fri-
giditatis, & calidis omnibus ferè leuatur: quod
manifeſtum indicium eſſe debet, morbum eſſe
intemperiem frigidam, cum humore pituitoſo,
craſſo, viſcido, qui neruum auditorium egregiè
labefactatum obſtruxit: nam in eo imbibitus
longa mora induruit, quemadmodum ſæpe in
alijs partibus videmus, in quibus aliquando
ſcirrhos hic humor aut tophos collectus progene-
rat, reſoluta tenuiore ipſius, & magis aquoſa
parte exiccata. Docent hoc etiam plurimi, &
craſſi flatus qui percipiuntur, quales ex humore
huiuſmodi ſolent attolli, & produci. Item ta-
lem eſſe facilè oſtendit morbi diuturnitas: nam
iam ferè ſexennium hominem malè habet. Non
adduco iam quòd ferè obſeruatum eſt, longè ſæ-
pius hoc ſymptoma ex frigido quàm calido mor-
bo prouenire: quod etiam annotauit Auicenna.
libro 3. fen. 4. tract. 1. Eſt igitur interna obſtru-
ctio, intemperies frigida cum humore craſſo, &
indurato, quæ omnia iam primariò ipſam par-
ticulam male habent, licet principio per conſen-
ſum ſolum affecerint, ſcilicet partim ex cerebro
humore pituitoſo ad ſe habente, partim ex vniuerſo
corporis habitu vaporibus ſurſum latis, & ca-
put onerantibus. Etenim ad vnam omnes cauſæ
tam internæ quàm externæ ad hoc inclinarunt.
Caput calidius & humidius ab initio, hepar ca-
lidum

lidum, ventriculus imbecilior causam dederũt, vt caput egregiè oneraretur, excrementis abundaret, coctionesque proprij alimẽti in cerebro labefactatæ imperfectè administrarẽtur, caput aliunde transmissos vapores & humores crudos facilè reciperet, nec posset concoquere, nec quod superfluum, expellere. Dissoluta item victus ratio, in qua nostri homines pro consuetudine viuunt, in compotationibus, comessationibus, & maximè intempestiuis noctu à cœna celebratis, magnam mali causam dedit: nam inde coctiones vitiantur, caput vaporibus repletur, vniuersum corpus crudis, pituitosis succis abundat: quæ si vllam partem labefactant, solent capiti, & neruoso generi esse perniciosæ pestes. Accedit ad hæc quòd hic æger cùm primùm hunc morbum persentiret vt refert, fortè habuerit maxima negocia cum patrono, quæ cùm non posset expedire, & rationes subducere, ingentibus curis & continuis ita confectus est, vt non longè abesset quin mente alienaretur: quo mœrore, cerebri facultates, & labefactatæ sunt mirum in modum, & vires exhaustæ & dissolutæ: vndè naturales facultates imbecilliores redditæ pituitosorum multorum & crudorum succorum copia genita & collecta est. Paucis deinde pòst annis incidit in grauissimam, acutam & malignam, vt intelligo, febrem, quæ hominem à septimo die ad decimumquartum vsque, comate veternóque altissimo appres-

fit, vt toto illo tempore nullus nec internus, nec externus sensus suũ officium faceret, sed omnes vt fieri solet, torperent: qui cùm sit capitis affectus frigidus, intelligi facilè potest quàm grauiter illud affecerit. His externis & internis causis, & multis alijs (quas non opus habeo hoc loci vobis exercitatissimis in arte viris enarrare) factum est, vt caput aggrauatum hunc humorem, facultate expultrice munus suum obeũte, in decliues aures, imbecillas, proximas, frigidas sui natura, ad excipiendum cerebri quædã excrementa, quasi natas, depulerit. Illæ autem imbecillæ, cùm non possent influxui resistere, nec quod paulatim agglutinabatur excernere, morbum hunc conceperunt, & longo tempore conceptum retinent. Quid porrò mihi videatur de curatione huius morbi paucis expediam. Morbum ego incurabilem existimo, multis rationibus. Primùm ipsius diuturnitas (afflixit enim iam sexennium) vt hoc arbitrer, me mouet: quandoquidem memini me apud præstantes Medicos legisse, eum incurabilem, cùm solùm biennium afflixit. Huc accedit, quòd in artis operibus, nunquam viderim à meis preceptoribus curatum post id tempus: nec ego, licet multùm annixus sim in quibusdam, hactenus, percurare potuerim: quandoquidem post illud tempus insita quasi est & natiua partis affectæ imbecillitas, affectúsque quasi in habitum transit.

transit. Accedit quòd neruosa pars laboret humore frigido, qui ita induruit, vt vix, imò nunquam, post tam longum tempus morbi, poßit emolliri, & discuti etiam generosißimis remediјs adhibitis. Etenim hoc vix in externa parte, cui promptè remedia applicari possunt, in simili affectu fieri posse obseruamus. Non dico iam quod propter anfractuosos sinus aurium & internum affectum nostra remedia, difficulter saltem, ad partem læsam peruenire possunt, si modò vnquam perueniunt. Est tamen aliqua nobis spes reliqua, si non curationis integræ, saltem eum cura diligenti adhibita posse paulò melius habere, & fieri posse eadem diligentia ne affectus in peius labatur, útque qui iam surdaster est, surdus planè non fiat. Quòd autem id fieri poßit, colligimus etiam ex ipso affectu, qui non semper idem est, sed aliquando leuior, aliquando grauior, pro victus ratione cautiore, vel minus sobria, pro aëris constitutione humida aut sicca magis, & prout in cæteris rebus, quæ extrinsecus incidunt, moderatè vel immoderatè se gesserit. Refert à lotione capitis altero & tertio die, leuius habere, expeditius audire, minùs tinnitu vexari: at eodem die quo lauandum præbuit caput grauius malum persentiri. Cuius rationem arbitror, quod caput subsequentibus diebus extenuata lotione materia, & flatibus discußis libe-
retur

retur magno onere, quod tamen eodem die quo lotus est non persentit, quia excitatus flatus, & mota materia nondum discussus sit: id enim in instanti fieri nequit. Vnde etiam nobis spes maior multùm vtilitatis ex nostra curatione eum percepturum. Quæ quomodo instituti debeat, ex affectus notione facile patet. Quandoquidem frigida intemperies, calefacientibus alteranda: humor qui crassus durus, lentus parti insedit, attenuari debet, emolliri, incidi, & abstergi: nam ita obstructio ab eo facta tolletur, atque flatus sunt dissipandi, & resoluendi: hacq́ue facienda sunt vehementer calefacientibus & emollientibus leniter remedijs. Sed ne hæc cùm prodesse debeant, obsint si impuro capite, & corpore pleno adhibeantur: ex arte fuerit primùm illud mundare ijs remedijs quibus vniuerso corpori solet prospici, & caput euacuari: conandum etiam, vt si fieri potest, humor qui parti insedit, aliò deriuetur, & si fortè quis eò confluat, reuellatur: deinde caput exiccetur, & roboretur. Quam methodum Galenus nos docuit lib. 3. de comp. med. secundum locos. Principio igitur corpori vniuerso (nam inde curatio auspicanda est) prospiciendum hoc modo.

℞ Cassiæ n. t. ℥. vj.
Specierum hieræ s. Cal. ℥ ij.
Agarici trochis. ℈ ij.

cum Zucchаro fiat bolus, capiat manè ante cibum, vel huius loco.

℞ pilul. de hier. cum agar. ℈ iiij.
fiant pilul. numero v.

Post hunc bolum, vel has pilulas, septem diebus ex ordine vtatur hoc syrupo.

℞ Oxymel. s. ℥. j.
Syr. de stichados ʒ vj.
decocti betonicæ, saluiæ, Iuæ, pas. liqritiæ. ℥ iiij.
Misce, capiat manè in aurora, & superdormiat. Altero ab assumpto syrupo die, extrahantur ex cephalica dextra ℥ v. aut circiter sanguinis, & paulò minus sequēti die ex cephalica sinistra ante cibū horis duabus. Pòst quàm accepit suprà scriptos syrupos, purgetur pilulis subscribendis.

℞ Pilularum cochiarum ʒ j.
pilularum aurear. ℈ j.
misce cum oxymel. fiant pilulæ septem, & deaurentur, capiat post primum somnum, sed vesperi parciore vtatur cœna. Vel harum vice capiat pilul. ex hiera diacolocynthidis.

Purgato hoc modo corpore, deueniendum est ad capitis ipsius expurgationem, masticatorys, errhinis. Et interim dum huiusmodi apparantur, ex vsu fuerit cucurbitulas scapulis inferioribus cum scarificatione applicare. Pòst vtatur manè, redditis excrementis, his masticatorÿs ad multos aliquot dies.

℞ Rad. pyrethri ʒ j.

Nucis moscatæ. gingib. ana ℈ ij.
Masticis ʒ j.
dissoluatur mastix in mortario cum pistillo calido, & cætera admisceantur, fiántque pastilli, quorum quilibet sit ʒ. s. pondere, vel ℈ ij masticandi mane. Huius loco gargarismus fieri poterit ex hyssopo, origano, saluia, betonica & his ascriptis incoctis aqua, admixto oxymelite vel melle rosaceo, & pauco aceto. Quo tempore his vtitur, poterit idem tentare errhinis istis, naribus ea immittendo.

℞. Hellebori albi ʒ s.
S. staphisagriæ, Piperis albi ana ℈ j.
Gingiberis Garyophillorum. S. nigellæ ana ℈ s.
Cum pauca terebinthina, & parum ceræ fiant errhina gariophyllis paulò maiora, naribus imponenda. Horum loco naribus attrahi poterit succus betæ, radic. ireos, vulgaris acori, cum aqua maioranæ, & melle: omnia mixta & egelida. Postquam hunc ordinem expurgandi capitis & modum, per aliquot multos dies secundum curam administrantis Medici præscriptum ex ordine prosequutus est, alia ipsi capiti admouebit, quibus id magis exiccari & roborari poterit. Qua in re consulimus vt frequentes lotiones capiti adhibeat ex lixiuio è cineribus partim sarmentorum, partim caulium braßicæ percolato, incoctis absinthio, saluia, camomilla, maiorana, folijs senæ, rosis, agarici aliquot dra-

chmis, quod deinde abstergatur spongia, & pannis siccioribus. Tempus lotionis debet esse ieiuno ventriculo, & eo die quo austrina constitutio, vel alioqui pluuiæ non sunt infestæ. Nec opus est eo tempore aures linamento aliquo obturare quemadmodum consueuit. Intereà temporis dum abstinet à lotione circumferat continuè hunc sacculum capitalem.

℞ Sandarachæ Arabum ʒ. j. s.
Thuris, Nucis moscatæ, Maioranæ ana ʒ s.
Granorum myrti, Rosarum rub. S. peoniæ, florũ stæchados ana. ℈ ij. puluerisatis omnibus, fiat sacculus interbassatus ex serico pro sutura coronali, cuius vsus interdiu erit. Noctu vel sola stuppa canabina suffecerit, excalfacta fumo quem sandaracha, & thus carbonibus iniecta exhalarint. Dum hæc postrema fiunt, quo ad eius fieri potest, sollicitandus ipse locus affectus subscribendis remedijs. Qua in re placet vt bis in die vacuo stomacho fiat fomentum per calamum perforatum, vel embotum, vt vocant, & suffitus quidam ex decocto sequenti.

℞ Centaurij minoris, Tanaceti, Absinthij, Maioranæ ana m. j. s.
Fol. lauri, Rosarum, Spicæ ana m. j.
Lumbricorum lotorum in vino, & ligatorum in sindone p. s. Aquæ part. j. vini albi part. ij. Coquantur, & seruentur pro suffitu. Statim à suffitu debet auribus instillari liquor aliquis ad

guttas duas aut tres tepidè, occludiq; auris gossipio, quod muscum aut ambram inuolutam conseruarit. Liquores varij esse possunt: ex simplicibus optimum oleum est iuniperi, oleum ex terebinthina, oleum anethinum incoctis aut castoreo aut coloquintide, aut euphorbio pauco. Succus raphani cum oleo amygdalarum amararum, & pauco sale. Compositi item varij esse possunt, sed ex omnibus hic mihi maximè placet, ex quo ego aliâs insignem in simili casu vtilitatem percepi.

℞ Olei veteris ℥ ij.
Olei porrorum. Olei amygdalarum amararum. ana ℥ j. Succi rutæ. Succi raphani ana ℥ s.
Vini maluatici ℥ j. s.

Bulliant in ampulla vitrea ad succi & vini propè consumptionem. Deinde adde, Spicæ nardi, Coloquintidis, Castorei, mysticis puluenratorum, ana gran. ij. Postea occlusa ampulla bulliat in duplici vase, quod balneum Mariæ vocant, per horas tres. Auferatur ab igne, & in alio vase seruetur ad solis æstum per paucos dies donec liquor clarescat, posteà coletur per linteũ subtile & exprimatur, & adde Musci gr. j. s. dissoluatur optimè, & seruetur in vsus. Interim dum vtitur suffitu sunt continendæ & conterendæ dẽtibus fabæ, aut pisa aliquot. Nam dum hoc fit, auditorius meatus obseruatus est magis patere, quò co fumus magis penetret. Quòd si ex his omnibus

omnibus, non fuerit pro ratione adiutus, placet mirum in modum vtatur embrocha seu ducia ad caput naturali, si haberi potest, ex aqua salsa, aut nitrosa, modicè aluminosa, quæ etiam vel sulphurea sit, vel saltem calorem ex sulphure, vel etiam bitumine habuerit, qualis est Lucensis de Corsena: aut si ea haberi non poterit, fiat arte ex herbis betonica, saluia, menta, rorismarino, rosis, fol. lauri, maioranæ, absinthij, sale, & id genus alijs incoctis: quæ omnia præsenti sunt latius à Medico curante explicanda, qui etiam modum & ordinem & vsum eius docebit. Hæc sunt ea remedia, viri doctissimi, quæ existimo in hoc affectu proficua futura. Vos qua estis experientia magis probata in medium adferetis. De ratione victus nolo quicquam addere, quòd ea trita satis sit, & à Medico curam administrante præscribi poterit. Hoc solùm addo, suspecta valde debere esse, quæcunque caput tentant. Sobrietas maximè laudatur: fugiendus omnis diurnus somnus, & vespertinus statim à cœna. Non exponendum caput austrinis flatibus, nec etiam quando Boreas vel Aquilo aërem mouet. Atque hæc suffecerint.

*Post hoc meū consiliū datū Iudæus quidā Argētinensis Empiricus surdastro huic medicamenta quædā suppeditauit, quæ cùm ego satis probem, volui studiosis ea cōmunicare. Ea hæc sunt. Conficiatur lixiuium, vt fieri assolet ex cinere

iuniperi

iuniperi & fluuiali aqua. Lixiuij accipiat lib. ix. cui infunde per horas 24 subscribenda.

℞ Serpilli, florum camomillæ, Absinthij vulg. Matricariæ ana m. s.
Baccarum lauri. Radic. ireos ana ℥ j.
Radic. asari ℥ j. s.
Contusa infundantur: deinde eo lixiuio abluat caput aliquoties.

℞ Succi porrorum, Succi absinthij Olei amygdalarum amararum, Naphthæ, hoc est, petrolei ana ℥ s. Misceantur, deinde ea mistura impleantur cepæ duæ excauatæ, ac earundem cortice testæ, atque ita sub cineribus calidis coquantur: coctis ijs succus exprimatur, qui sæpe in aures instilletur.

℞ Aceti acerrimi lib. j. s.
Stercoris columbini recentis, quod satis est, mixta hæc indantur in ollam nouam, coquantur ad medi. consumptionem. Deinde coopertam ollam crusta panis larga in medio perforata, & imposito apte embuto (accipienda hæc vox est) auri subijciat, atque inde exhalantem vaporem in aures excipiat, vesperi iturus dormitum. Continuet ad dies 12. & quaternis quibusq; medicamentum reiteretur. Hæc Iudæi medicamenta post purgatum corpus administrata sunt diligenter, sed hactenus nihil inde emolumenti.

Luguduni

Consi

Consilium quintum pro illustrissima quadam Comitissa laborante dolore capitis, dolore & leni stupore brachij sinistri, & defluxu humorum in fauces & gingiuas.

Affectus qui Illustrem hanc mulierē malè habent, sunt capitis & sinistri brachij dolor, non vehemens quidem, nec continuus, sed obtusus quodammodo, & interpolatus: in capite quidem cum grauitate, in brachio verò cum quodam stupore, cóque digitorum, & maximè indicis extremæ eiusdem manus. Præter hos etiam musculorum ceruicem mouentium motus, non est semper æquè expeditus. Delabitur etiam sæpe & multùm humor in gingiuas & fauces. atque expuitur aliquando subsalsus. Excernit frequenter cum lotio arenulas, necnon conqueritur de leuibus vteri suffocationibus. Hi sunt affectus præter naturā, qui male habent hanc nobilissimam mulierem: quorum (quoniam tolli debent) causæ inuestigandæ sunt: quandoquidem illis sublatis affectus isti curabuntur. Sed quoniam postremi hi leues sunt, neque multùm molestant, solùm capitis curam habebimus & brachij, illis tamen non omnino neglectis. Qui enim capitis, & brachij affectum diligenter consyderat,

necessa

necessario aliorum meminisse debet, quòd caput in hac illustri muliere aliunde hunc affectum magna ex parte susceperit. Qua ratione sciendum hanc mulierem natura habuisse principes partes satis temperatas, solùm hepar videtur calidum fuisse & humidum. Ostendunt id inter cætera color viuus, corpus solidum, & succi plenum. Cor satis temperatum arbitror. Cerebrum hepatis temperamentum subsequutum videtur, non tamen longè à temperie. Ventriculus temperatus fuit, renes calidiores, Horum omnium notas & signa huc transcribere longius foret, & nullius propè vtilitatis. His igitur sic se habentibus, non mirum videri debet hoc corpus defluxionibus esse vehementer obnoxium. Quandoquidem à tali ventriculo & hepate generata sanguinea massa copiosa calidior, & egregiè vaporosa, fecit vt ex habitu corporis, & genere venoso exhalarent continuò multi vapores ad caput, quod non solùm eos admisit, sed sua natura quodammodo ad se traxit, vt rectè Galenus docet in arte Medic. item tertio lib. de locis affectis, & passim alibi. Qui etiam testatur nullum prope temperamentum magis esse isto fluxionibus expositum. Verùm vapores illi in vegetiori ætate, in iuuentute, à calido natiuo, & facultatibus omnibus adhuc robustioribus potuerunt facilè partim discuti, partim superari. At succedente ætate cùm illæ

naturâ

naturâ infirmiores redderentur, facilè factum est, vt cerebrum intemperiem humidam, & nonnihil frigidam conciperet, & excrementa multa partim abunde admitteret, partim (quoniam alimentum suum propter intemperiem non satis concoquebat) ipsam generaret, quorum multitudine aggrauatum, tandem virtute expulsiua ad partes inferiores & magis imbecillas ea depulit. Vnde aliâs defluxus illi in gingiuas, atque dentium corrosiones: aliquando per fauces impectus, vnde tussis: aut in ventriculum, vndè cruditates, ciborùmque frustratæ concoctiones: nunc, vt plurimum, per neruos in ceruicis musculos, & brachium, vnde impedimentum motus & dolor. Et quia in cerebro ipso semper fons, & origo horum omnium malorum perstitit, subinde caput aggrauante dolore molestatum est. Quod autem hæc ita se habeant, nulli dubium esse debet. Etenim in cæteris omnibus partibus ferè inculpata sanitas est. Virtutes omnes, vitalis, naturalis, abundè pro ætate & corporis constitutione, vegetæ, solùm animalis (ad hanc enim & dolor pertinet, & stupor, & motus impedimentum) labefactata, quæ cùm solùm immediatè procedat à cerebro, nocumentum sanè erit vel in cerebro, vel in instrumentis à cerebro immediatè procedentibus. Sed id non eget probatione. Verùm cùm sit in cerebro, considerandum venit, affectus

ctus ille sit intemperies humida, & frigida, eáq; cum materia, vt antè diximus. Certè cerebrum à prima ætate calidius fuisse & humidius multa docent: hoc tempore verò desciuisse in frigidum videtur: ostendit illud canities intempestiua, dolor aggrauans & obtusus, affectus diuturnitas, excrementorum affluentium & quantitas & qualitas, torpor quidam, & ferè semper in somnum inclinatio: nam hæc omnia sunt frigiditatis & humiditatis effectus. Causæ idem attestantur: nam hepatis caliditas, & venosi generis, effecit, vt caput suapte natura ad id dispositum, vaporibus & excrementis, subinde frigidis, aliquando diuersis (qua ratione sæpe somnia ei grauia, interrupta, & quædam quasi vigilantis soporis species) oneraretur: vnde ipsius naturales facultates labefactatæ minus probè concoxerunt, multáque etiam ob id excrementa cruda & frigida collecta sunt, quæ primum intemperiem induxerunt, deinde inductam fouerunt, & continuò fouent. Iuuit ad hoc plurimùm ætas, quæ succedit frigidior (est enim illa in primo senio) nam in hac calor natiuus incipit debilitari, crudíque humores plurimi generari, idq; potissimum quòd ventriculus imbecillior factus ex frequentibus in eum destillationibus, quæ subinde coctiones ipsius vitiarunt, quo minus hepati alimentum elaboratum

suppe

suppeditare potuerit. Iam receptum est, prioris concoctionis vitia, a sequenti non corrigi aut emendari. Frequentes etium, licet leuiores vteri suffocationes, & inde flatus excitati (quorum causam retentum præter consuetudinem semen esse reor) caput etiam mirum in modum debilitarunt: est enim singularis capiti & ventriculo cum vtero consensus. Caliditas quoque renum (quam, vt cæterataceam, facile ex arenulis cum lotio profluentibus agnoscimus) non paruam occasionem dedit sublatorum in caput vaporum. Curæ quibus à morte illustrissimi Comitis, vt intelligo, maximis distracta fuit, ventriculum & caput potissimum frigidius & debilius, fluxionibúsque obnoxium reddere solent. Vt interim nihil dicam de vitæ genere alio, de largiore victus ratione, de superfluo otio, de regione in qua degit frigida, & egregiè humida, propter vicina vndique stagna: nam ea apud Sebusianos frequentia admodum sunt. Ostendit etiam hunc affectum frigidum & humidum esse, tempus, quo exacerbatur, & motus defluentis humoris è cerebro. Nam ad Lunæ motiones mouetur, & maximè circa ipsius coniunctionem, quo tempore potissimum omnes ex capite defluxus frigidi irritantur, testis est Auicenna, & Galenus 3. de diebus criticis. Accedit ad hoc quod hyeme magis, quàm æstate, noctu, quàm interdiu,

diu, nubilo cœlo & tempore pluuioso, quàm sereno & sicciore afficiatur. Humor qui aliquando in fauces delabitur, nonnunquàm subsalsus est, cùmtamen aliâs ante aliquot menses frequentius talis perciperetur, & tum in eo maior salsedo: cuius causa ostendit, hoc tempore intemperiem in cerebro cum suo humore frigidiora esse, quàm solebat. Etenim cùm aliâs propter hepatis calorem, & etiam cerebri, quod in excremento pituitoso terreum erat, adureretur, salsedo illi ingenita est. Docet hoc Arist. 2. Metheor. & Galenus passim, vel quòd eo tempore quàm nunc, propter calorem maior bilis copia pituitæ misceretur, si Auicennæ opinionem volumus sequi. Verùm de hac re nihil disputandum hoc loco. Satis est scire, siue salsedo ei propter adustionem, siue ob bilis cum pituita mixtionem ingeneretur, hoc tempore intemperiem & humorem frigidiora esse, quàm solebant. Constat igitur ex effectibus, & causis cerebrum intemperie frigida & humida laborare, cum materia, atque in eo est prima origo & fons omnis mali. Est enim membrum mandans excrementa in alias partes. Neque suspitionem vllam adferre debet nobis, color faciei & capitis, viuidus sæpe & rubicundus in hac muliere. nam is naturalium facultatum & hepatis beneficio contingit, animali interim virtute non satis disposita.

Cæte

Cæterùm cum in humorum defluxibus requiratur præter membrum mandans, etiam aliud quod eos recipiat, videndum quodnam illud sit, & qua ratione. Aliâs diximus gingiuas, fauces, ventriculum, asperam arteriam hoc defluuium excepisse. Hoc tempore potissimum brachium sinistrum illud admittit, quod & ratione situs, & doloris, & imbecillitatis oneratur. Et quia natura in eam partem caput exonerat, supradictæ partes sunt paulò liberiores, quasi aliò deriuata materia. Licet nonnunquam etiam in illas partes labatur, materia copiosiore existente. Brachium totum sinistrũ dolet, & imbecillum est, propter intemperiem eandem, quam in cerebro esse ostendimus, idque cum materia, licet illa pauca sit neruis ipsis quasi imbibita: vnde stupor ille, & in extremis digitis tristis quidam sensus, qui quasi pungentium acuum esse videtur. Nam cùm virtus animalis propter frigiditatem & humorem imbibitum, non possit expeditè per neruos penetrare, necessariò sequitur actionem instrumenti non fore inculpatam. Eadem quæ diximus dolorem faciunt: & quia pauca materia est, non potest aliquem præter naturam tumorem excitare. Quia in internis partibus, & circa tendones & neruos est externum cutis colorem non immutat, & dolor quasi circa periostium hæret. Quòd autem ea sit intem-

peries, & ea materia: ostendit dolor remissus, affectus diuturnitas, omnia denique illa, quæ anteà diximus de capite. Hactenus de horũ affectum natura, causis, & effectibus diximus: nunc curatio (cuius gratia omnia illa præcognita esse debent) nobis instituenda venit, quam speramus non infeliciter successuram: quandoquidem operationes omnes in corpore hoc, maximè naturales, & vitales satis valent, & eorum vnde procedunt principia: tum etiã interni & externi sensus, parum possunt reprehendi. Et licet affectus illi iam diu malè habuerint hanc mulierem illustrem, tamen neq; continui sunt, neque ita radices egerunt, & inueterarunt, quin possint corpore vegeto satis existente, medica arte tolli, & exterminari: quòd si hac hyeme propter aëris insignem intemperiem humidam & frigidam, fouentem hos affectus, & ad continuos defluxus excitantem, non poterit exactè fieri, saltem ita corrigi sine magno negocio debet & potest, ne aliquod grauius malum inde timendum sit. Nam nisi huic venienti malo occurreretur, periculum foret aut sinistri lateris paralysis, aut fortè arthritis, vel (quod dij auertant) aggregato paulatim in capite humore, apoplexia, aut similis eius generis morbus, vt taceam interim tusses, dentium dolores, ventriculi cruditates. Verùm ne ex his aliquod ma-

cum eueniat præuidendum: dandáque opera diligenter est, vt id quod hoc tempore affligit aut omnino curetur, aut ita leniatur, vt eius integra curatio sine periculo in proximum ver, in aëris constitutionem calidiorem, transferri queat. Quod quidem debito vitæ genere instituto, & paucis adhibitis remedijs cõsequemur.

Quod attinet ad vitæ rationem, obseruandus ordo, modus, tempus, qualitas, quantitas, & id genus conditiones in cibo & potu: aëre: somno & vigilia: motu & quiete: animi affectibus: & excrementorum omnium retentione & excretione. Et vt à cibo & potu auspicemur, in eo diligenter obseruanda sunt hæc capita: vti à generosis & caput tentantibus vinis, & eo quod arte variorum aromatum contemperatione factũ Hippocras dicitur, abstineatur. A salsamentis, aromatibus validis & alijs cibis acutis, ijsq; qui sua natura facilè caput vaporibus replent: leguminibus, iusculis, elixis: opere pistorio: crudis, oleribus frigidis & humidis, fructibus: piscibus: cibis ex farina & caseo paratis: lacte: caseo & lactarijs omnibus: cibis difficilis coctionis: crassum & viscidum alimentum suppeditantibus, & qui excrementis scatent. In hoc genere sunt bubula, suilla caro, summi animalium artus, & intestina, aues palustres, animalia saginata ocio & largiori victu: in sartagine frixa: cibi

varij, & idgenus alij. Vtendum cibis bonè succi, & concoctu facilibus, minimè condimentorum lautitia delicatis: suffecerit vnus aut alter talis in mensa: ex eo genere sunt carnes hædinæ, vitulinæ, veruecinæ, Leporum iuniorum, & eorum cerebrum medicamenti ratione (nam obseruatum est à Medicis & paralysi, & tremori prodesse) carnes caponum, perdicum, turdi, turtures, alaudæ, & omne genus auium monticularum, quæ plurimo volatu vtūtur. Carnes ex his humidiores potiùs assæ sint quàm elixæ: eæq; suffixæ aut saluia, aut rosmarino, aut garyophillis vel cinamomo. Acetum cuius vsus erit, si multas vuas passas incoxerit, melius fuerit. vbi iusculis vti libuerit, fiant ex pane incocto, intrito, ex oriza, ex hordei succo, sed incoctis vel radicibus petroselini, vel cinamomo, ex vitello oui dissoluto in iure cum pauca agresta: verūtamen ab omnibus abstinuisse profuerit. In acetarijs satis est vel vnum cichoriū coctū, aliquando paucis capparibus & Corinthiacis vuis mistum. Bellariorum loco sunt pyra cocta vel cotonea cum aniso vel coriandris inuolutis zacharo. Panis sit bene fermentatus, leuis, bene coctus, hyeme subinde bis coctus, cuius vsus præterea semper in postrema mensa erit. Cibus, quod maximum est, peroptimè masticetur, prius quàm deglutiatur. Vinum sit anniculum, vel saltem

ætatis

ætatis sex mensium, Claretum, sed non multi colo is, non crassum, non potens, non fumosum, neque crudum. Dilutum hyeme aqua quæ infuderit parum rorismarini, & temperatum antè quàm bibatur per horæ spatium. Hippocras dictum non est ex vsu: tamen pauco cinamomo, pauca saluia, pauco zucharo confusum nisi potens sit vinum, non improbaro. Proderit multùm hac hyeme subinde vini loco, hydromelite vti, maximè in cœna, potissimùm eo tempore, quo humorum defluxus ex capite, & dolor magis vrgent. Fiat autẽ ex duodecim partibus aquæ, vna mellis optimi, coquatur ad consumptionem quartæ partis: decocto adhuc calido existente, infundatur hissopus, saluia, coriandrum, canella, & id genus alia, vel omnia, vel ex his quædam contusa, vel concisa, & tenui sindone inuoluta. Statim à cibo suadeo huius pulueris capiat cochleare vnum, & non superbibat.

℞. Coriandrorum præparatorum ℥ ij. s. Anisi, fœniculi, masticis ana ℥ s. Mentæ hortensis, Cinamomi, Granorum myrti, Liquiritiæ ana ʒ ij. Cort. citri ℈ iiij. Zacchari rosacei tabulati ℥ x. puluerisentur subtilissimè, & misceantur. Hic puluis concoctionem adiuuat, stomachum roborat, flatus discutit, caput exiccat, cerebrum confortat, & catharros sistit. Cœna esto quam prandium

parcior: neque unquam edatur nisi ventriculo vacuo, & qui iandudum aliam concoctionem absoluerit: & tum etiam illi paulò minus tribuatur quàm natura, consuetudo, & ipsius robur admittit. Etenim vbi in corpore plenitudo est crudorum humorum, nulla via alia medius concoquuntur, & vacuantur quàm abstinentia, & inedia. Recordetur igitur sanitatis conseruandæ, & eius dispositionis curandæ omnium optimam regulam esse illam Hippocratis 6. Epid. Non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. Atque hæc de victus ratione sufficiant: nam particularia omnia hîc transcribere, & longum foret & nullius vtilitatis. Obseruandum quoque ne aëris patiatur aliquem excessum: intense frigidus, qualem Aquilo solet inducere, licet caput non grauet, tamen si illud humoribus onustum reperit, eos exprimit quoquomodo, & in loca debiliora præcipitat. fugiendus etiam, qui austriuo halitu, caput mirum in modum onerat, nebulosus omnis, pluuiosus, humidus, & fumosus fugiendus. Hyemis tempore in temperato cubiculo versetur, lucido, perflato, in quo etiam aliquando humido tempore aër alteretur suffitu quodam calidiore, sed quod non admodum caput grauet. Vbi aër fuerit serenus, atque à sole nonnihil expurgatus, proderit in publicum prodire, & in aëre exerceri.

Aesta

Aestatis tempore fugiendus intensè calidus, is enim vapores è corpore in caput euocat, & qui sunt in capite humores colliquat, & fluxiles reddit. Somnus non sequatur statim cibum, sed saltem in horam vnam aut alteram ducatur vigilia: quod tempus aut confabulatione iocunda, aut deambulatione leui, vel auditione iucundioris alicuius historiæ transigatur. fiat in alterutrum latus, nunquam aut saltem quàm rarißimè corpore supino. Nam ille decubitus est plus quàm credi poßit huic illustrißimæ mulieri nociuus. Tempus eius & terminum concoctio absoluta, & consuetudo determinabit: septem vel octo horas, abunde fuerit: neque velim in multam, & intempestam noctem vigilias duci, & posteà ad meridiem vsque somnum protrahi: quod Nobilibus & qui aulam sequuntur in vsu esse solet. Diurnus & maximè à prandio fugiatur, nisi forte nocturnæ vigiliæ aliud suaserint: tamen neque eo tempore mihi admodum placet. Nam in his affectibus vigiliæ plus emolumenti, quàm somnus adferre debet. Diurnus à cibo somnus eleuat & excitat vapores & non discutit: aggreditur concoctionem, non perficit. Itura dormitum, placet aliquando deglutiat granum vnum aut alterum thuris, ciceris magnitudine: aliquando tria aut quatuor semina peoniæ, sed leui-

ter priùs dentibus trita. *Aliquando* conseruam rosaceam nucis magnitudine, admixta alia parte conseruæ florum rorismarini, vel saluiæ. Verùm rosaceam conseruam (Itali & Germani Zuccharum rosaceum vocant) velim hoc modo fieri. Accipiantur aliquot mala cotonea, conscindantur, & mundentur contusa, vt decet, exprimantur. Qui expressus fuerit succus depuratus incoquatur Zuccharo, donec omnis incoctus sit: deinde collectæ summo mane rosæ, necdum rore excusso contundantur in lapidea pila, contusæ statim secundum artem immisceantur Zuccharo, & sublata ab igne agitentur diu, donec omnia permista fuerint, instillando aliquot guttas succi limonis. Is enim succus reddit conseruam pellucidam, claram, & transparentem. Exercitium in omni corporis constitutione laudatur moderatum, at in hoc casu maximè. fiat autem stomacho ieiuno excrementis reiectis, atque paulò plus, quàm soleat esse ad calorem corporis excitandum. fiat in aëre quantum potest temperato, non iuxta profluentem, aut stagna, neque in vmbra, quam humidiores & situ obducti parietes fecerunt. Vbi intemperies aëris fuerit, domi pila parua ludat, globulis, & id genus alijs, quæ totum corpus exercent, & in quibus vox etiam pectus exercere potest. vbi serenus aër, deambulatio-

ne,

ne, equitatione, &c. A cibo statim quiescẽdum. Ante cœnam quoque exerceri debet, sed minus quàm ante prandium. denique non velim vel vnum diem præterlabi, in quo non aliquod corporis exercitium subeatur. Nam hoc excitat calorem natiuum, eúmque quasi consopitum alioqui, ad actiones naturales incitat, quo authore deinde crudi humores, & pituitosi concoquuntur: item qui ad caput solùm tendebant vapores, aliò per vniuersam cutim deriuantur: necnon excrementa omnia maximè quæ sunt in habitu corporis egregiè difflantur & discutiuntur: quorum excretio ad sanitatem tuendam summè est necessaria. Quapropter ea excrementa quæ exercitium discutere nequit, vniuersi corporis feces scilicet & vrina, quærendum vt singulis diebus deponantur. Verùm cum hæc satis pro temperatura & consuetudine respondeant, nihil de iis dicam. Capitis verò excrementa, & superfluitates ante exercitium, quo ad eius fieri potest, expurgare decet, pectitione, leni frictione per spongiam siccam, vel pannum calidum & subasperum, excreatione è faucibus, emunctione narium. Proderit etiam si singulis octo aut decem diebus, tota hyeme caput leniter extergatur furfure tritici, excusso primùm diligenter polline, & deinde

exiccato. *Laudo etiam gargarizationes ex vino & aqua hordei, quae per noctem saluiam, maioranam, rorismarinum, rosas insiderint. Item si eadem illa naribus attrahantur, iuuabit. Et quoniam nunquam tam exactè fiunt in corpore concoctiones, & superfluitatum excretiones, quin semper aliquid relinquatur in corpore, quod excerni debeat, quo relicto & paulatim (vt fieri consueuit) aucto, & morbi veteres fouentur, & noui generantur. Quapropter certis temporibus consultum fuerit hoc ipsum leni purgante medicamento euocare, ac naturam eo per interualla liberare. In quem vsum velim sequentem pilularum massam confectam seruari, ex qua aliquando si stomachus onere grauatus sentiatur, velim aurei pondus in aliquot pilulas confectum manè deglutiri: aliquando vbi caput magis aut doleat, aut catharris affligitur, velim vnam pilulam nucis auellanae magnitudine vesperi tribus aut quatuor horis post parcam coenam deglutiri: vel quinque aut sex ex vnius aurei pondere confectas, post primum somnum, nocte assumi. Suffecerit semel aut bis in mense sumpsisse: idque circa illud tempus quod longissimè à menstruo fluxu distat: aut quod paulò pòst, eum fluxum sequitur. Pilulae hae ventriculum & primas venas expurgant ab omnibus excrementis, à capite reuellunt, deriuant à partibus,*

qua

quæ fluxione humorum tentantur, caput exiccant, & stomachum, cæteráque viscera roborant. Sunt autem subscriptæ.

℞ Rhab: Agarici trochis. ana ℥ j.
Turbith ℈ ij
Mirob. citrinorum, chebul. ana ʒ. s.
Masticis, nucis mosch. ana ℈ j.
Stœchadis, cinamomi ana ℈ s.
Aloes boni ʒ s.
cum syr. ros. sol. fiat massa pro pilulis.

Animi motus sint quoque, vt cætera omnia, moderati, & inter hos potissimum ira & tristitia: nam illi sunt cæteris ferè vehementiores: fugiendæ quoque curæ, quod illæ caput, mentis sedem, frigidius & imbecillum reddant.

Quæ in viuendi ratione obseruanda duxi, huc vsque dicta sunt: nunc tempestiuum est ad curationem, quæ medicamentis fieri debet, progredi, quæ qua methodo institui debeat, explorata morbi natura, & affectarum partium conditione, haud est obscurum. Nam intemperies in mandante, & recipiente membro, frigida & humida, calfacientibus & siccantibus est oppugnanda, & quia humida plus vrget quàm frigida, validius est insistendum siccantibus quàm calfacientibus. Humor qui intemperiem & generat & fouet, euacuandus venit, & partim aliò deriuandus, vel ab affecta parte auertendus. Verùm si hæc fiant corpore

impuro existente, & repleto, officient potius quàm proderunt, attracto & euecato humore largiore, quàm dissipetur. Proinde vniuerso corpori prospiciendum est prius: deinde caput expurgandum: postea intemperies tollendæ: & affectæ partes deinde roborandæ, vt refectis facultatibus, & concoquant suum alimentum, & resistant aliunde influentibus humore vel vapore. In corporis consyderatione cognoscendum, hoc propositum nobis, plenum esse multo crudo, & pituitoso sanguine: ventriculum frigiditate imbecilliorem, & vterum aliquando affectum esse: denique vniuersam hanc curam, capitis affectu ratione fieri. Quare expurgatis primis venis, & ventriculo, vt decet, ea exhibenda quæ ad sanguinis crudi coctionem faciant, quæ viscidum & lentum sanguinem incidant, & extergant, vias & meatus aperiant, vterum roborent, hepar plus æquo non excalfaciant, capiti iuuamentum, & neruis adferant. Quapropter exhibitis principio his pilulis subscriptis latius progrediendum.

℞. *pilularum de hiera cum agar.* ℈ ij.
pilularum azaicreth ℈ j. s.
cum oximel. fiant pilulæ numero vij. deaurentur, deglutiat post primum in nocte somnum. Deinde

℞. *Oximel.* s. *mell. ros. col. Syr. de*

stœ

ſtoechade ana ℥ s. decocti ſequentis ℥ iij. s. miſce. Detur manè & ſuperdormiat ſi poteſt. Continuet ad dies aliquot. Decoctum eſto.

℞. Betonicæ, Saluiæ, Meliſſæ. cichorij integri ana m. j. Seminum peoniæ, Coriandrorum præparatorum, liquiritiæ raſæ ana ℥ s. Coquantur ſecundum artem in aqua q. ſ. coletur, clarificetur, aromatiZetur cinamomo pauco & ſandalis citrinis, ſeruetur in vſum pro ſyrupo. Poſtea quàm per aliquot dies hoc ſyrupo fuerit vſa, proderit euacuari corpus his pilulis.

℞ pilul. aZaiereth, pil. cochiarum ana ℈ ij. Trochiſcorum alhandal. grana iij. miſce: fiant pilulæ ſeptem cũ aqua Betonicæ: dentur poſt mediam noctem. Atq; hæ pilulæ reiterari poſt quatuor aut ſex dies debent. Intereà verò vtetur ſupraſcripto ſyrupo. Cæterum quoniam alterum ad euacuandum corpus inſtrumentũ, ſanguinis miſsio eſt, de ea hîc pauca dicenda. Reformidari in hac Illuſtri muliere poſſet ſanguinis miſsio, ratione ætatis, ratione crudorum in ea humorum, & ne impediantur mẽſtrui fluxus. Verùm qui cognoſcit naturam huius remedij, poterit de ijs facile iudicium ferre. Sanguinis miſsio ritè adhibetur in corpore repleto, maximè vbi ſubitanea euacuatio requiritur: quæ etiamſi hoc in corpore non requiratur,

tamen

tamen omnino corpus repletum est. Sed in hoc corpore diximus illam plenitudinem esse crudorum humorum: Galenus autem prohibet sanguinis missionem existentibus multis crudis humoribus. Qua in re sciendum, verum id quidem esse, si crudi humores plurimùm distant à sanguine: nam vbi sanguini mixti sunt, nec plurinum à sanguine discrepant, sanguinis missionem expresse concedit Galenus in libris de sanitate tuenda. at tales sunt in hoc corpore. Taceo interim quòd Galenus & catharros & alios multos frigidos curarit morbos, sanguinis missione. Ætas in hac muliere non tam grauis est, quin in pleno corpore euacuationem per missionem sanguinis non admittat, cùm videamus eam singulis mensibus adhuc secundum naturam purgari. Quæ purgatio menstrua ob sanguinis missionem non intercipietur, vt quidam putant, non enim per eam quicquam reuellimus, nihil retinemus: sed naturam superfluo onere, sanguinis detractione, quasi liberantes, causam damus, quo ea, quod in corpore superfluum est, singulis mensibus exactius expellat, & minori negocio, & faciliori corporis tollerantia. Vt interim taceam, quòd ex sanguinis missione beneficium accedit, nimirum quòd à capite reuelletur humor noxius: calidæ vaporosæq; expirationes minus à visceribus subditis in caput attollentur: hepatis &

renum caliditas mitigabitur. Verum quoniam aëris hoc tempore incommoditas refragatur: & aliis leuioribus remediis, videtur leuius malū fieri posse, vt sine incommodo facilè inducias dare poßit in proximum vsque ver, (quo tempore commodis remediis omnino curari debet) hoc tempore venam nullam secabimus. Sed purgato (vt supradictum est) vniuerso corpore, ad secundum curationis caput deueniemus, quod statuimus materiæ, quæ intemperiem souet, expurgandæ & auertendæ gratia, quæ quoniam fontem suum habet caput, illi consulendum est. Fiet hoc apophlegmatismis, errhinis è cerebro pituitam deuocantibus purgatione manifesta: occulta item, & insensibili fiet per lotiones, frictiones, & pectinis attritum: hoc ipsum conducet, & ad reuulsionem humoris, quem in subiectas partes, & brachiū, cerebrum amādat. Proderunt etiam reuulsionis & deriuationis gratia partium extremarum frictiones, crurum maximè, & brachij dextri. Neq; improbarim frequentes natibus & lumbis cucurbitulas affigi, aliquando leues, aliquando cum scarificatione leni, idq́ue potißimum eo tempore, quo defluxus ventriculum, fauces, & gingiuas infestat. Præterea cerebrum roborandum est, vt alimentum suum concoquat: vapores aliunde transmissos, vt repellat: vtq́ue eius immodica humiditas absumatur: frigiditas

f (quæ

(*quæ tamen non admodum insignis est*) temperetur. His ita peractis, brachio ferè nullo remedio opus erit, quod partim fiet ijs remedijs, quæ diximus, partim puluisculis capiti inspersis, vel in sacculos consutis, eique applicitis, partim electuarijs membra confortantibus exhibitis. Nam vbi non amplius eò materia nocens à cerebro demandabitur, natura facilè vincet quod in eo molestum, præter naturam est. Quod tamen vt expeditius fiat, fotu aliquo aut linimento commodo ea iuuanda venit. Post corporis igitur purgationem laudo hoc caputpurgium, vt manè diebus aliquot tepidum per nares attrahatur, vtque apertis meatibus, dissoluta parumper materia frigida, imponantur naribus errhina subscripta ad mouendum sternutamenta: quorum vsus calefacit temperatè cerebrum, siccat, & roborat, humorésque in eo dissolutos sternutamentis euocat.

℞. Decocti maioranæ, Saluiæ ℥ iij. Succi betæ depurati ℥ j. s. mellis despumati ℥ j. nigellæ parum torrefactæ. ʒ j. misce, fiat caputpurgium attrahendum per nares.

℞. hellebori albi ℈ ij. s. piperis longi. Zingiberis ciclaminis ana ℈ j. Garyophil. Cinamoni ana ℈ s. musci gr. iij. cum mucilagine gummi arabici dissoluti in succo saluiæ fiant nasalia garyophilis paulò maiora, imponenda naribus. Et licet per nares potius

velim

velim deduci noxiam materiam, quàm per os & fauces, tamen vt facilius duplici via expurgetur, etiam his masticatorijs vtatur post vsum remediorum supradictorum.

℞. Rad. capparis, pyrethri, nucis moschatæ ana ʒ j. s. masticis ʒ j. ceræ parum misce fiant pastilli masticatorij, ex quibus vnum dentibus conterat per horæ dimidiæ tempus. Cùm hæc facta fuerint, lauet oculos aqua rosacea, abluat os aqua hordei, & eandem tepidam attrahat per nares, ad calorem, si quis in partibus à medicamento relictus sit, leniendum. His remedijs vtatur per dies plus minus decem, aut duodecim. Interea temporis ad roboranda membra vtatur hoc electuario nucis magnitudine, summo manè, & post assumptum si potest dormiat.

℞. Theriacæ bonæ, vel mithridatij, vel Aureæ Alexandrinæ ʒ j. conseruæ rosarum ʒ iiij. conseruæ florum saluiæ ʒ ij. misce: seruetur in vsum tota hyeme. Assumat aliquando binis aut ternis diebus ex ordine, aliquando alternis diebus, aliquãdo interponat aliquot dies, & pòst ad idem reuertatur. Mirũ quàm hoc omnibus membris conferat, caput exiccat, & roborat, ventriculum, & hepar confortat: vteri affectibus vtilißimum est. Noctu dormitura suffumiget tegumẽtũ capitis suffitu ex.itato sup a carbones ex hoc puluere.

℞. sandarachæ Arabum ℥ ij. Storacis ℥ j. s. Belzoi ℈ ij. Thuris ℥ j. Rosarum ℥ iiij. Contundantur, misceātur pro suffitu. Interdiu gestetur supra caput hic sacculus.

℞. Sandarachæ Arabum ℥ ij. s. Rosarum rub. ℥ j. s. Macis, Cinamomi, Garyophillorum infusorum per horas tres in aqua rosacea, & exiccatorum ana ℥ j. s. maioranæ, nucis cypreßi ana ℥ s. Pulverisatis omnibus subtilißimè, fiat sacculus ex serico interbassatus, pro sutura coronali. Lotiones reiteratas capitis ex lixiuio, facto ex cineribus partim salicis, partim iuniperi lignorum, incoctis rosis, bethonica, camomilla, folijs sennæ, pauco agarico & id genus similibus summopere laudo. Tamen quia non assueta est hæc nobilis mulier, supersedendum puto his hac hyeme, propter inclementiam aëris, atque earum loco suffecerit frictio lenis capitis per furfures, vt supra à me scriptum est. Laudo quoque aliquando vsum myrobalanorū cebulorum, & emblicorum conditorum mane eo tempore, quo non vsa est electuario scripto. Proderit etiam vsus conseruæ florum betonicæ, saluiæ, rorismarini. Iuuabit aliquando masticatio longa nucis moschatæ, aliquando masticis simplicis, & id genus similium. Quod ad ceruicem attinet, & brachium affectum, si

post

post hæc remedia, non omnino curata fuerint, inunganturoleo myrrhæ, admixta parte olei gũmi ammoniaci cum pauco oleo vulpino, & camomillino, dissoluto in ijs momento croci & salis. Nam hoc linimentum non attrahit, non repercutit, sed iuuat concoctionem materiæ frigidæ, modicè calfacit, roborat partem ne rursus recipiat nouam materiam, discussa veteri. Inungendum vesperi, & manè calidè. Oleum myrrhæ, & gummi ammoniaci, hoc modo quodlibet per se fiet. Coquatur ouum, donec indurescat, dempto cortice, scindatur, & eiecto vitello ipsius albuminis concauitas impleatur puluere myrrhæ bonæ & puræ, vel ammoniaci pinguioris, colligatur deinde filo & vndique stilo perforatum ouum in vitreo calice suspensum seponatur in loco humidiore vel subterraneo per aliquot horas, atque ita extillabit oleum: cuius vsus esse debet. Oleum ex his alia arte multo excellentius extrahi potest, sed in hoc affectu malo hoc modo fieri: nam ex albumine, quas vires nanciscitur, hîc conuenire arbitror. Quod ad excretionem arenularum attinet, laudo vtatur singulis ferè diebus tota hyeme nucleis persicis, aut amygdalis amaris, assumendo in principio prandij octo vel decem. Excernit horum vsus arenulas, & calculum: à dolore renali & colico præseruat: facit ne caput multùm tentetur ex

stomacho eleuatis vaporibus, & multi phlegmatis generationem prohibet, nec in eo corpore multùm eorum caliditas tempore hyemis timeri debet. Hæc sunt quæ in his affectibus consulenda putaui, quibus, si ritè vtatur, iuuante Deo non solùm à grauiori periculo secura reddetur Illustrißima mulier, sed etiam omnino ab his dispositionibus liberabitur. Quòd si forte fortuna propter aëris inclementiam hac hyeme, pro voto, non successerit, hoc sequenti vere, leni purgatione, & fortè sanguinis tum mißione aut ex vena pedis sinistri externa, vel ex dextro brachio, & vsu ligni guaiaci planè pristinæ sanitati restituetur. Quæ omnia à præsente Medico secundùm rationem & corporis, & affectuum tum temporis dispositionem, institui debent: atque etiam pro aëris alia tum constitutione, quædam in hoc meo consilio forte mutari.

Cal. Decembris

Lugduni.





Consilium sextum. Pro eadem illustrissima Comitissa in quo modus exhibendi decoctum ligni Guaiaci.

Cognita constitutione corporis Illustrissimæ mulieris, qua nunc vtitur, atque relecto meo scripto, quo ante quatuor circiter mẽses dispositiones ipsius omnes explicaueram, rationémque viuendi instituerã: paucis quid mihi hoc tempore faciendum videtur, quidqúe præstandum arbitror, vt corpus à grauibus morbis præseruetur, expediam. Quandoquidem æstas calore suo humores liquat, & fundit, solet in humorum plenis corporibus tum alios multos morbos excitare, tum maximè graues ex fluxionibus inducere, meum consilium fuerit, priusquàm inualescat, sanguinis (quo omnes humores continentur) missione occurrendum esse. Nam cùm hoc tempore maior necessitas vrgeat quàm fecerit aliâs: nec aëris inclementia, quæ tum molesta fuit, nunc impediat, non video quo minus id fieri non debeat. Sanguinem, licet is fortè, paulò sit crudior quàm deberet, plus æquò inauctum esse in ipsius corpore multa ostendunt, tam quæ causarum loco sunt, quàm quæ pro effectis habẽtur. Etenim hepatis tẽperatura calida, & humida, victus ratio liberalior & boni nutrimẽti, otiũ, & cætera quæ ad

plurimum ingenerandum sanguinem faciunt, illud docent. Item in pulsu quæ percipitur vndositas, & ipsius pro ratione ætatis magnitudo, capitis & oculorum grauitas, laßitudo illa quasi laboriosa, vrina craßior & satis tincta, color ruber & floridus, etiam attestantur plus sanguinis esse in venis, quàm natura opus habeat. Item hora motus huius humoris: nam potißimum manè grauat, quod tempus à nona noctis scilicet ad tertiam diei, sanguini merito tributum est. Quod etiam indicatur ex hæmorrhoidibus, quæ aliàs fluere consueuerũt, ante aliquot paucos annos suppreßis. Hinc factum est quòd menses quæ ante hunc diem solent ordine & modo naturæ fluere, postremis his diebus ad dies quatuordecim continuos fluxerint: quod manifestum indicium præbere debet, sanguinem copiosiorem esse in corpore, quam eius facultates ferant. Et licet hac mensium expurgatione, is sit diminutus, tamen nondum satisfactum esse naturæ, facilè intelligere poterit is, qui, quæ anteà diximus in corpore ipsius præsentia, considerat. Quare largiore opus esse euacuatione constat, quæ cum multis & varijs modis fieri queat, nulla est quæ poßit commodè ab illa adhiberi, quàm aut sanguinis misſio, aut inedia. Verùm cum hæc, licet salubriter, vniuersum corpus vacuet paulatim, & longo tempore, meo iudicio non potest solum

præstare

præstare quod quærimus: sed & altera opus erit, scilicet sanguinis missione, maximè cùm propter negocia quibus distringitur, non queat eam viuendi rationem instituere, quæ necessariò erat instituenda. Ad quod accedit institutum post paucos dies iter, quod ingredi, nisi vacuato nonnihil corpore, non satis tutum arbitror, cùm varius diuersorum locorum non solùm aër experiendus sit, sed & cibus & potus subinde mutandus. Præterea si sanguis mittatur, hoc vtilitatis accedet ad humorum euacuationem, quòd natura quasi exonerata promptius quod reliquum est in corpore crudorum humorum concoquet, quod superfluum digeret, & consumet: necnon quod ab arte poterunt securius cætera institui, quæ & ad caput, & brachium nonnihil affectum roborandum ex vsu videbuntur. Refrigerabuntur etiam nonnihil renes, & quodam quasi onere leuabuntur, vt minus illis post hæc dispositionis sit ad calculum generandum tam materiæ quàm efficientis ratione. Fiet etiam eadem opera, vt pauciores excipiat vapores caput, sublata eorum materia, & ijs quasi reuulsis, alióque deriuatis, quod etiam brachio affecto non parum adferet iuuamenti. Quod ad ea attinet quæ aliâs difficultatem in eo negocio facere videbantur, tum respondi: & hoc tempore latius prosequerer, si arbitrarer

alicuius momenti fore. Quare cùm arbitrer hoc remedium, si vllum aliâs proficuum esse solet, magnopere profuturum: neque vllam difficultatem inueniam, quæ nos ab eo perterrere debet, præscribam paucis quo tempore, quo modo, qua quantitate, ex qua vena meo iudicio administrari debeat. Tempus aptissimum erit, quando in principio huius veris, constitutio aëris fuerit paulò minus, quàm est in stabilis: nam ita euacuatum corpus non offendet. Quod autem eo tempore fieri debeat Hippocrates docuit lib. 6. aphoris. 47. & Galenus post eum multis in locis: nam tum admonet morborum instantium periculum: inuitat humorum vltrò suo loco motorum exemplum: patitur etiam aëris temperies, quam meo consilio expectabit stabilem, nisi vrgens aliqua negociorum causa impediat: nam tum tempori accommodare se oportet: intelligo si breui ingrediendum iter est, euacuandum hoc remedio corpus erit, non expectato aëre firmo, & sereno: & eo tempore ad paucos dies domi sese cõtinere decet. Modus quo velim fieri, hic esto. Præcedenti die aut biduo ante sanguinis detractionem, consultum fuerit manè horis quatuor ante cibum, aut citius accipere hoc electuarium quod subscribam, quod primas venas, & ipsis proxima viscera sine molestia expurgabit: ne posteà ex ijs locis, exinanitis parum venis, aliqui crudi humores in habitum corporis.

poris, vt fieri solet, trahantur. Præscribo hoc electuarium potius quàm quoduis aliud, quòd mirum in modum benignum sit, æqualiter omnes humores euacuet: flatus non, vt cassia, aut id genus alia medicamenta, excitet: sed quod non solùm membra expurget, verùm expurgata etiam roboret & firmet.

℞. Diacatholicon ℥ vij. pilul. masticinarum contusarum ℈ ij. Specierum hier. s. ℈ j. cum syr. ros. sol. fiat electuarium, obducatur auro, & assumatur inuolutum hostijs madefictis in iure pulli, vel vino. Post hoc electuarium sequenti die quiescet, altero extrahetur sanguis. Quæ posteà facienda sunt, paulò pòst dicemus. Quantitatem sanguinis extrahendam difficilè consequi absentes possumus: dignoscetur ea facilè à Medico tum temporis præsente, Quòd si absens in ea re consilium meum adferre debeo, putarem vtile fore, & necessarium esse corpori, si ad minus octo vel decem vnciæ educerentur: tamen hoc integrum relinquo iudicio præsentis medici. De vena, quæ aperiri debet, nõ leuis est habẽda ratio: quãdoquidẽ nõ solũ cõsiderãda est corporis euacuatio, sed in ea re animaduertẽda & reuulsionis & deriuationis ratio mirũ in modũ debet: quòd vno et eodẽ hoc remedio soleamus prospicere diuersis & varijs remediorũ generibus, qbus solet nostri corporis dispositionibus subuenīri. Quapropter cũ humor abũdãs in

corpo

corpore huius Illustrißimæ mulieris, maximè infestet caput, atque ex eo defluat in brachium sinistrum, videndum vt is commodè euacuetur, quod quidem fieri posset ex qualibet se prodente vena, verùm quia maximè vergit in latus sinistrum deriuandum venit in dextrum latus: quare quæ prodit se potißimum in dextro brachio vena, aperienda venit, siue ea cephalica sit, seu communis, vel etiam basilica: nam in eo parum est discriminis. Tamen si omnes se ex æquo produnt, potius aperienda communis: ea enim tàm euacuat vniuersum corpus, quàm ex capite deriuando reuellit. Verùm quoniam constitutio corporis ipsius ita formata est, & carne vestita, vt vix vlla vena in brachio appareat, atque ob id difficile sit venam aliquam tundere: non mihi præter rem videretur, si in eodem brachio vena aperiretur, quæ in manu est inter pollicem & indicem digitum, quam vocant capitalem: nam ea enascitur ex maiori superiore in cubito vena. Quòd si ea haberi non posßit, potius aperiatur in sinistro pede sciatica dicta, hoc est externa vena iuxta talum, quàm quod hoc remedium omittatur: nam ex ea euacuabimus, & à capite per sinistrum latus reuellemus quantitate grauantem humorem.

Quòd si nulla ex ijs inueniri queat, quæ sine periculo videatur aperiri posse, forte necessarium fuerit curcubitulis, humeris & lumbis

affixis

affixis cum scarificatione humorem demere. Quod tamen remedium non tam fuerit vtile, quàm molestum. Post extractum sanguinem vtetur sequenti apozemate per tres dies aut quatuor manè assumendo vncias quatuor cum vncia vna mellis rosacei. Apozema hoc modo fiet.

℞ Betonicæ, Saluiæ, Cichorij integri. Agrimoniæ, singulorum m. j. Liquiritiæ, Coriandrorum conditorum zaccharo, Passularum corinthiacarum, singulorum vnciam mediam, Cinamomi pondus drachmarum duarum, decoquet in aquæ lib. iiij. ad consumptionem ferè medietatis, excoletur ius per sindonem densum, atque eo vtatur. Quod si eo vti velit ad plures dies, magnum inde iuuamentum percipiet. Postquàm vsa est hoc apozemate, vtile fuerit post primum in nocte somnum, qui parcam cœnam subsequi debet, deglutire pilulas aliquot conformatas ex ponderis vnius aurei & dimidij pasta ea, quam continuò apud se habet, aliâs ei à me præscripta. Et interim dum hæc aguntur, fuerit consultum vti parciore victus ratione, & mediocri exercitio: idque in loco sicco, nec admodum frigido: vel si hoc fieri nequit, manè priusquàm vestiatur, adhibeat lenes crurum, corporis reliqui, & brachiorum, maximè dextri frictiones. Pilulis assumptis, sequentibus

aliquot

aliquot diebus summopere laudarem (si ipsi per negocia liceret, & integrum esset) vt per aliquot dies decocto ligni Guaiaci vteretur, ea adhibita viuendi ratione, quæ solet hoc tempore à medicis hoc remedio vtentibus, præscribi: quam tamen non velim tam strictam, & tenuem esse, vt viribus aliquot detrimentum inferre poßit: sed solùm vt detracto corpori largiore nutrimento, natura quicquid est in sanguine crudorum humorum cõcoquat: & quicquid serosum, illud consumat, vel per sudorem dißipet. Lignum hoc vix credi poßit, quàm fuerit commodum: nam ventriculum & hepar concoctionibus destinata membra roborat, eorum humiditates exiccat: quicquid in corpore est crassorum humorum, & viscosorum incîdit, attenuat, & abstergit: vrinã, & maximè sudores mouet: quapropter per habitũ corporis egregiè omne q̃d in tali corpore noxiũ est, discutit, & exterminat, iuuãte multũ ad hoc victus ea ratione, quæ adhiberi solet. Hoc modo subinde defluxionũ seu rheumatũ fontes exiccãtur, & partes ita roborãtur, vt hæ nõ amplius noxiã materiã ingenerẽt, neque illæ recipiant. Decoctum velim hoc modo fieri. Accipiat ligni limati triti lib. j. Aquæ bonæ lib. 12. infundatur in olla noua vitreata, incalescat supra prunas, atque ita reponatur in 24. horas. Iis elapsis apponatur igni, & coquatur lẽto igne donec ferè dimidia aquæ pars in-

cocta

cocta fuerit, eo tēpore auferatur ab igne, & excolatum decoctum seruetur in vasis vitreis in vsum. Verùm interim dum coquitur adijciēdæ sunt vuarum Corinthiacarum vnciæ duæ, Liquiritiæ recentioris ℥. s. Ex hoc decocto capiat mane hora quinta libram semis, vel paulò plus, & cooperta sollicitet sudorē, somno maximè si potest. Abstersa diligēter manè circa octauā vel nonā horas, fricetur, & deinde surgat. Hora decima prandium sumat, quod velim esse parcißimū, nimirū ex vnica aut altera auicula assa, vel ex paucis buccis carnis alicuius assæ, cū paucis vuis paßis, & modico vino egregiè diluto. A prādio prospiciendū ne somnus obrepat: nam is nociuus esse potest. Hora deinde quarta decumbat, assumat eandē quantitatem decocti: sollicitet sudorem: post sextā, si placet, exurgat è lecto, & paulò pòst cœnet, sed multò minus quàm in prādio. Quare carnibus abstinuisse profuerit: solùm salubre erit aliquot amygdalas vel pistacia, vel vuas passas, cū pauco biscocto pane assumere, & secundum (vt vocant) decoctum vice potus admittere. Quod hoc modo fieri consueuit. Accipiat reliquias ligni primæ decoctionis, eis inditis in nouam ollam, adijciantur aquæ libræ decem & octo. Vuarum passarum m. iij. Liquiritiæ vncia vna, Cinamomi pondus duorum aureorum: coquantur ad consumptionem tertiæ partis,

vtatur

vtatur pro potu. Quòd si fortè fames, & edendi appetitus plus solito à prandio presserit: eo tempore, anticipare poterit horam assumendi potionem vespertinam. Tempus determinatum quo fieri velim hanc curationem, & dietam seruari, nullum præscribo: nam negocia & rei commoditas facilè tempus & terminum designabit. Quòd si solum in dies tres, vel quatuor fiat, non poterit non egregiè prodesse, & quo longius protrahatur in certum aliquod tempus, eò fuerit consultum magis. Hæc sunt quæ mihi videntur hoc tempore facienda, vt à morbis (quibus fortè premi posset si incautius ageretur) præseruari valeat: vtqúe quicquid est reliquum in corpore dispositionum præternaturalium tollatur. His omnibus peractis velim omnem omnium medicamentorum vsum in aliquot menses interdictum esse, ne vsu eorum continuo corpus noxam aliquam contrahat, vel ne aliâs (si ingrauiore fortè casu medicamentis opus fuerit) natura ea respuat, & quasi (vt multùm ijs assueta) contemnat. Tamen si his primis duobus mensibus aliquando vtatur Zaccharo rosaceo immixta theriaca, vt aliâs præscripsimus, non improbò. In quem vsum mitto illi theriacam ferè ante biennium à me in Italia confectam, optimam, si vlla alia hoc tempore, fieri potest. Post hos duos menses, eius loco si placebit, erit solius Zac-

char

chari rosacei vsus. Neque haberem medicamenti loco, si æstate singulis quindecim, vel viginti diebus aliquando ante prandium masticaretur Rhabarbari modicum, vt puta nucis auellanæ, vel castaneæ magnitudine, & cum pauco cinamomo deglutiretur. Hic abunde corpus præseruari poterit.

Ad gingiuas laxas, & dentes erosos.

QVòd attinet ad gingiuas laxas, & dentes mobiles, & à continuo humoris è capite influxu erosos, solùm hoc remedio vtendum mihi videtur, quod gingiuas stringit, illapsum humorem exiccat, eas roborat, ne alium labentem continuò excipiant, dentes firmat, à putredine præseruat & dealbat: neque eius vsus ingratus est vel odore, vel sapore. Velim autem hoc modo fieri. Accipiat foliorum oleæ viridium partes iiij. Rosarum rubearum recentiũ part. ij. Zacchari albißimi partem vnam. Cimarum rubi, vel quercus partem mediam. Contundantur, & distillentur secundum artem. Aqua destillata abluat os subinde: huic aquæ poterit inijcere aliquando guttas aliquot olei vitrioli, facti eo modo quo præcedenti nostro consilio diximus oleum myrrhæ conficiendum. Vel accipiat solum olei huius co-

chleare. j. Aquæ rosaceæ cochlearia sex vel septem commisceat, & eo liquore gingiuas & dentes aliquando confricando, illinat. Hæc in salutem Illustrissimæ Dominæ hoc tempore consulēda duxi: quæ si diligēter adhibita fuerint, spero permultùm profutura. Quod vt fiat, Deum, qui de terra creauit medicinam, precor. Lugduni Cal. Aprilis.

Consilium septimum, In asthmate pro Augustano mercatore.

Licet is affectus, qui hunc virum affligit & ipsius causa notissima sit atq; propterea salutaria remedia promptè præscribi possint, tamen ne meum officium ipsi defuisse in hac re videri possit, placet breuibus comprehendere naturam morbi, eiúsque causas. Morbus quo detinetur, dubio procul Asthma, vel anhelitus difficultas dicitur: quandoquidem in omni motu, in omni exagitatione corporis cōcitatiore, ea facilè se prodit. Nam cùm eo tempore calor ex motu vehementior, magno refrigerio, per respirationē habeat opus, & pulmo propter infarctos, & imbibitos crassos, viscidósq; humores dilatari & cōtrahi non queat, necessarium est vt quod robori desit, id frequentia cōpenset. Vnde sunt illæ anhelationes crebræ, inde ea angustia pectoris, & quasi quædam anxietas, & in eo loco compressio

Inde

Inde illud pondus, quod continuè in ijs locis persentitur. Hinc illa tussis subcisiuis temporibus, quandoquidē cum natura persentiat in pulmonibus excrementitium humorem, isq; liberam expirationem impediat, velit nolit coacta est, quoad eius fieri potest, illum ipsum excludere seséque ea molestia liberare. Quo fit etiam vt eo tempore cogatur recta ceruice spirare: nam & ita meatus ille liberior est, & magis expeditus, & viscidi humores minori agitatione possunt excludi. Quòd autem huius difficultatis causa, sint humores crassi & viscidi infarcti in meatibus ipsorum pulmonum, hactenus ab omnibus Medicis in confesso est, ipsa ratio quoque dictat, & ea quæ eger expuit manifestè ostendunt. Nam illa difficultas respirandi, qua aliquando noctu tenetur, nunquam cessat, tussis quæ subsequitur, nunquam sedatur, nisi viscidis, & crassis humoribus multis primùm per tussim ex pectore & pulmonibus eiectis. Hæc quæ ad morbū ipsum. Causam quid dederit huic morbo, non est difficulter consequi. Quandoquidem venosum genus & ipsum hepar calidius, stomachus ferè imbecillior, & inordinata victus ratio, qua ferè Germani vtuntur, maximè potionibus frequentibus sine ordine potissimum: & in hypocaustis frequēs cōuersatio, solent caput mirū in modum onerare, & replere excrementis, quod deinde se exonerans, humores superfluos deponit, ac breui viam

aliquam expeditam reperit, per quam se exonerare queat, & subiectam aliquam partem imbecillam, & aptam, vt recipiat, hanc onerat, atque excremento suo grauat. Vnde in aliis diuersi morbi fiunt, in ipsius corpore forte propter natiuam aliquam imbecillitatem pulmones oppreßit, atque asthma generauit. Et quia materia illa ignaua est, non est molesta nisi sua quantitate & mole, quæ vbi se in pulmonum meatus insinuauit, paulatim ipsum afficit, ac intemperiē suæ naturæ conformem generat, vndè posteà pulmo imbecillus non ritè suum alimentum concoquit, & multa alia excrementa cruda relinquit: que deinde coniunctis viribus spiritus transitum impediunt, & nisi per tußim vi anhelitus excutiantur, respirationem, aut egregiè difficilem reddunt, aut omnino intercipiunt. Quare autem hæc acceßio maximè vrgeat circa noctis medium, multæ poßunt esse causæ. Etenim eo tempore, si Arabibus credimus, propriè est illius humoris pituitosi & crudi motus, ad quem etiam ipsius noctis natiua qualitas frigida & humida aliquid facit. Præterea mihi verisimile est in somno, aliquid materiæ continuo ex capite in subiectū thoracem paulatim delabi, atque tandem cùm aggestum humorem natura persentit cõmoueri, donec eum exturbarit, atque in eo motu omnes pulmones concuti, quo tempore eiicit multam materiam, quæ alioqui quasi conso

consopita in meatibus ipsorum residebat. Et quoniam in ea agitatione vniuersum corpus concutitur, & maximè vicinæ ventriculo partes, fit vt aliquando post tußim, bilis vomitus consequatur. Is enim humor, vicinus ventriculo suam sedem habet, & facilis est ad motum, promptéq; in exagitatum vẽtriculum illabitur. Tumor pedum qui ante aliquot dies visus est, non fit præter rationem, atq; ego in simili morbo subinde obseruaui, feréq; suspectum habeo. Etenim is, meo indicio, fit ea ratione, qua nos fieri videmus in declinationibus longorum aut grauiorum morborum. Nam eo tempore debilitatus calor, non ritè concoquit alimentum corporis, multáq; generat excrementa. Isq; defectus primò solet se egregiè prodere in ijs partibus, quæ longißimè à caloris & sanguinis fontibus, corde nimirum & hepate dißident: quales pedes sunt & crura: ad quod etiam facit aliquid, quod ferè semper nonnihil excrementitium in eas partes, decliues sua natura, ex vniuerso corpore labatur. Quòd autem in eo casu calor natiuus imbecillior fiat, illi facilè ratum esse debet, qui intelligit omnem calorem, & ipsius autorem ignem imminui, imò extingui si liberum aërem, & difflatum non habuerit. Vnde in omnibus Asthmate laborantibus calor natiuus, paulatim suffocatus imminuitur, quemadmodum accensas candelas, imposito corniculo, nec expirent halitúmve accipiant.

cipiant, extingui videmus. Quod ad prognosticum attinet, sperandum morbum in ea ætate, in ea dispositione corporis adhuc recentem leniri & mitigari posse, sed non nisi singulari diligentia in victus ratione, & cæteris rebus necessarijs adhibita, & multorum medicamentorum vsu tempestiuo. Nam nisi id fiat, periculum est ne ingrauescens ægrum breui tempore interimat, cùm inueteratus, vel qualiscunque alius, in sene incurabilis sit semper habitus, & habeatur ab omnibus. Victus rationem hîc ascribere superfluum duco, cum eam passim ab vnoquoque medico facile addiscere poterit. Capita tamen quædam non omittã, in quibus ea omnis continetur. Abstinendum erit ab omni cibo crassi nutrimenti, & viscidi, frigidi, & onerantis caput. A multo vino, maximè generoso: à lacticinijs omnibus, ab azimis, pane non fermentato, & malè cocto: à leguminibus, à carnibus porcinis, bubulis, piscibus ferè omnibus. Exercitio multo, maximè ieiuno vtendum stomacho. non dormiendum interdiu: nec vesperi statim à cibo: non quiescendum supinè, sed in alterutrum latus: Vinum debet esse potius album quàm rubrum, aut vermiculum, tenue, maturum, non astringens. Atq; sequenti hyeme subinde bibendum vinum loco medicamenti, ex hissopo conditum, vel salvia aut iridis radice, cum pauco polypodio: idque in eum vsum conficiendum autumno sequenti.

velim vſum vini aliquando intermitti, & pro eo bibi ad aliquot dies vel ſaltem in cœna continuo hydromel ex multo melle, incoctis hyſſopo aut ſaluia vel iridis radice. Statim à cibo, tam in prandio quàm cœna, velim cochlear vnum ex hoc puluere aſſumeret, neque ſuperbiberet. Puluis hic eſto.

℞ hyſſopi ſicci, Semin. aniſi ana ℥ j. Liquiritæ raſæ ℥ s. Semin. fœniculi. Cinamomi ana ʒ ij. Cardamomi ℈ ij. Rad. ireos ʒ s. Cort. citri. ʒ j. s. zucchari albiſsimi lib. s. Pulueriſentur omnia, & miſceantur.

Verſandum quantùm fieri poteſt in aëre ſicco, libero, flatibus peruio, non concluſo. Non obijciet caput Soli, nec ventis meridionalibus, vel etiam ſeptentrionalibus vehementioribus: nam vtrique nocent, hi quod humorem exprimant, & ad inferiora præcipitent, illi quod multo humore & vapore grauent. Autor Hippocrates aphoriſm. lib. 3. Animi affectus ſint moderati, â mœſtitia, curis item quantum fieri poteſt cauendum. Et cætera omnia mediocriter obeunda. Quod attinet ad medicamentorum rationem, in ea hoc obſeruandum, vt frequens ſit eorum vſus, ſed non admodum vehementium. Quare ſolùm aliquando velim interpoſitis diebus ʒ j. aut ℈ iiij. harum pilularum aſſumeret, poſt medium noctis, quarum vſus ſecurus eſt, & in aſthmate

ſunt permultum expertæ, egregiè educunt humores viſcidos & glutinoſos è pectore & pulmonibus, & caput expurgant. Quarum deſcriptio hæc eſt.

℞. Agarici boni. ʒ j. Rad. ireos. Marrubij ana ʒ s. Turbit boni electi ʒ ij. s. Specierum hieræ ſ. Gal. ʒ ij. Pulpæ coloquintid. Sarcocollæ ana ℈ ij. Myrrhæ Rhabarb. ana ʒ s. Pulpæ Seminis cartami ℈ ij. s. Mixtis omnibus cum ſyrupo de marrubio vel de hyſopo fiat paſta pro pilulis. Eo tempore, & ijs diebus quibus vſus pilularũ nõ admittitur, laudarem, ſi per aliquot ſeptimanas manè in aurora, ex hoc decocto lib. s. aſſumeret, & deinde ſe ad quietem componeret. Potio hæc eſt.

℞ hyſſopi. Saluiæ, Marrubij, Scabioſæ, Cap. ven. Agrimoniæ ana m. j. Rad. Enulæ camp. ʒ j. Rad. Tuſsilaginis ʒ ij. liquiritiæ raſæ ʒ. j. s. S. vrticæ ʒ ij. S. melonum contuſorum ʒ. s. Epythimi p. j. S. Aniſi ʒ ij. s. Paſſul. mundatarum p. j. s.

Coquantur omnia in aqua q. ſ. ſecundum artem, colentur, depurentur, & cum melle q. ſ. vel ſi ægroto mellis vſus non placet, cum zucharo fiat apozema, & cum canellæ ʒ ij. aromatizetur. Quot ſi placeret ſubinde decoctum reiterare ac recenti vti nec tempore exoluto, poteſt ſimplicium quantitas imminui. Si huius

decocti

decocti fastidium obrepit, vtatur zulapio subscripto, quod mihi egregiè in simili casu probatum est.

℞ *Aquarum Enulæ Campanæ, Tußilaginis Borraginis, distillatarum in vitreo vase, ana lib. ß. Rad. ireos. S. vrticæ ana ℥ s. hyssopi, Marrubij. ana ℥ j. Capill. veneris recentis m. j. coquantur ad consumpt. tertiæ partis. Clarificetur, & cum pauco Zucharo fiat iuleb. in quo ebulliat Liquiritiæ, passularum ana. ℥ j. Cinamomi ℈ j. & vtatur. Pectus subinde inungat vniuersum hoc linimento.*

℞ *Succi ireos, Succi marrubij, succi hyssopi ana ℥ ij. Pingued. gallinæ, Anserinæ, Butyri recentis, ana ℥ iij. Ol. anethini. Ol. irini ana ℥ s. Coquantur ferè ad consumptionem succi, deinde cum pauca cera fiat linimentum.*

Præter hæc placeret mirum in modum continuus vsus subscriptarum tabularum.

℞ *Cinamomi ℥ s. hysopi S. anisi, ana. ℨ. iij. Liquiritiæ rasæ, ℨ. iij. s. Cardamomi ℨ j. S. fœniculi ℈. iiij. Rad. ireos ℈ ij. Zuchari q. s. depurati in cocta aqua capillorum veneris, fiant rotulæ quarum vnaquæque sit ℨ. j. pondere, vel duarum.*

Hæc & similia apta sunt, vt humorem illum expurgent, & ex pectore educant, capútq; vna roborent, seruato debito victus modo & ordine, & si horum vsus continuus, maximè his calidio-

ribus tēporibus videretur spiritus aut humores accēdere, debet aliquando intermitti, & assumi ea quæ mitio a habētur, qualia sunt syrupus ex capill. veneris, oximel simplex, sir. de liquiritia cum decocto earundem, & rerum pectoralium suprascriptarum in zulapio prædicto. Quamobrem etiam fortè post absolutum iter, & reditum ad suos, resumptis per paucos dies viribus, non foret præter propositum, si aliquot vnc. sanguinis demerentur ex vena media brachij eius, in quo se magis ostenderit, quod relinquo docto alicui Medico præsenti, quemadmodum cætera omnia quæ hîc à me præscripta sunt. Expurgato paululum vniuerso corpore, laudarem ad capitis exiccationem & roborationem, si aliquandò lauaretur lixiuio quod incoxerit camomillam, rosas, verbenam, agaricum illigatum linteolo. Et ita reliquam curationem prosequi. Quod ad tumorem pedum attinet, exercitium in ea re multùm valet, deinde lotio in aqua aliqua aluminosa & salsa, incoctis saluia, rorem arino, & id genus alijs calidioribus herbis. aut oxyrrodino multo sale intrito inunxisse crura & pedes profuerit. Præterea consulo, vt ex pelle caniua curet caligas internas fieri, quibus continuò vtatur. Hæc sunt quæ in hoc morbo consulēda mihi subuenerunt. Lugduni.

Cons

Consilium octauum. In quo victus ratio prescripta est nobili viro in ventriculi affectu cum totius corporis siccitate & extenuatione, in quo de exhibendo lacte asinino.

QVandoquidem morbus omnis in hoc viro in ventriculo est, vt abunde monstrauimus, qui eam tabem vniuersi corporis & gignit, & fouet, summa cura habenda est, in ijs maximè, quæ victus rationem obtinent: quod cibus non concoctus & minimè alteratus ad partem affectam peruenit, & primo statim accessu eam contingat, & afficiat: tum etiam quod ex victus ratione in hoc morbo, plus vtilitatis sperandum sit, quàm ex medicamentis exhibitis, quemadmodum copiosè ostendimus, cum morbi huius naturam, causas, effectus ipsi ægrotanti, & amicis astantibus explicaremus. Quapropter hoc loco nihil de morbo dicemus, satis fore putãtes victus modum, quod expetit, præscribere, quem ex vsu esse putamus huic ægrotanti.

Primum igitur abstinebit ab omni cibo difficilis concoctionis: ab eo qui crassum, & viscidum generat nutrimentum: à cibis nutrimenti sicci: & ab eo qui in frigiditate, & caliditate insignẽ & notatu dignũ excessum habet. Vtetur cibis, qui facilè concoquuntur in ventriculo, qui

concocti

concocti facile distribui per corpus possunt: qui bonum generant nutrimentum: qui insigniter humectent: nec tamen caliditate sua, aut multa frigiditate molesti esse ventriculo, & corpori possunt. In his postremis sunt carnes caponum, pullorum gallinaceorum (sed ex his magis alæ & testes gallinacei) hœdi, vituli lactantis, oua sorbilia, sed recentia, & maximè lac, & ex ordeo & auena expressus, & optimè coctus succus. Iuscula carnium supradictarum, incocto vel intrito pane. Atque his suprà dictis contentus esse debet, licet illi concedi poßint, perdices, turdi, & cæteræ ferè auiculæ montanæ omnes: item pisces fluuiatiles carne friabili, sed omnia potius elixa, quàm assa. Et quoniam aluus in hoc morbo necessario durißima est, nec nisi ægerrimè reddit sua excrementa, non præter rationem fuerit vti ferculis ex herbis, malua, borragine, spinachia, lactuca, portulaca, incoctis iure supradictarum carnium. Neque planè à fructibus omnibus abstineri velim, nam quidam ex vsu sunt, tam cibi quam medicamenti ratione, quales sunt nuclei pinei maximè excepti saccharo, amygdalæ, pistacia, vuæ passæ dulces abiectis gigartis, poma, & pira non austera, cocta, & puluisculo sacchari excepta. Ex conditis valent armeniaca Zacchoro cocta, pira moschatellina, ex amygdalis & zaccharo placenta, quam ma-

zium

xium panem vocant. Iuscula omnia alterata esse vel lactuca, vel borragine, vel hodeo, vel cucurbita incoctis profuerit. His aliquando misceri & incoqui possunt, aut oriza, vel farina tenuissima hordei, vel auenæ, atque ita liquidâ pulmenta confecta sorbenda exhiberi. Abstinendum ab omnibus carnibus animalium cæterorum, ab auibus palustribus, & quæ iuxta aquas cibum petunt, à piscibus alijs, à pane malè cocto, & non fermentato, à vino potenti, & crasso, musto, à caseo, leguminibus ab omnibus salsis & sale cõditis, ab omnibus aromatibus excepto pauco cinamomo, ab omnibus austeris, & acidis, ab herbis, & fructibus cæteris. Fugiendũ acetum, nisi id alteratum sit Zaccharo, aut vuis paßis incoctis, omphacium (agrestam vocant) mala punica, arantia, cotonea, mespila, & id genus cætera. Vinum bibendum anniculum, album si haberi potest, alioqui claretum, non multi coloris, non vinosum, commodè dilutum aqua fontana, vel puteali bona, quæ per aliquot horas cinamomi parum infuderit. Ea vino misceri debet per horæ spatium, priùs quàm bibatur, duæ partes vini esse debent, vna aquæ. Hæc est tota farrago rerum omnium, quas in hoc morbo aut fugiendas, aut amplectendas arbitror. Verùm cùm non satis sit materiam nouisse, quanti debet, sed etiam tenenda sit & debita quantitas, & ordo, tempus, & modus

eorum,

eorum, quæ assumi debent, breuibus ea hîc subscribo. Primum summo mane pòst quàm hîc Nobilis vir à somno sua sponte experrectus est, sollicitabit si fieri potest, vt aluus & vesica excrementa sua deponant. Statim assumet lactis asinæ vncias circiter septem aut octo, cum vncia vna zacchari albissimi, quod eo modo diligentissimè exhibebitur, quem paulò pòst subscribemus. Decumbet ad duas vel tres horas in lecto, pòst exercebitur leui deābulatione per cubiculū, aut si aëris tranquillitas adsit, nec ventus aut frigus, aut pluuiæ molesta sint, equo extra ædes vehetur. Horis quatuor à lactis potione apparabitur prandium, hora scilicet decima, si sexta lac assumpserit. Prandium esto, ex aliquo liquido, ex ijs quæ anteà scripsimus, parum elixæ carnis, capi scilicet, & maximè ex alis, vel id genus aliјs, pirum coctum aut pomum exceptum puluisculo zacchari, vel loco huius nonnihil maxij panis. Panis sit albus, fermentatus, vnius, aut duorum dierum. vinum quod suprà diximus, duarum scyphorum mediocrium mensura, nam hoc satis est cibo distribuendo, nec sua copia potest fluctuationem vllam in ventriculo concitare. Horis quinq; aut circiter à prandio, verbi gratiâ, hora quarta exhibebitur illi ptisana, hoc est, succus hordei, vel auenæ expressus, & coctus, cum lacte amygdalarum dulcium, vel (quod ego subinde factum, multum probo) lacte seminum frigi-

dorum

dorum maiorum, scilicet cucurbitæ, peponum & cet. adiecto zacchare, quemadmodum à me alibi dictum est. Ea quantitate debet exhiberi, quam diximus in lacte, septem vnciarum, vel paulò minore. Eo tempore quo lac exhibetur, vel succus hordei, nihil omnino alterius rei assumi debet. Horis deinde quinque ad minus cœna dari debet, hora scilicet circiter nona, parcissima. ferculum aliquod ex supradictis cum capi ala, vel ouum sorbile ex aqua rosacea, modico zaccharo aspersa. Vini & panis vsus, item hoc tempore moderatus. Post cœnam quiescat modicè, deinde paulum inambulet (si è lecto surrexit) tum decumbat, & sollicitet somnum. Prandium & cœnam velim extra lectum sumi: Lac & succum hordei in lecto. Lactis quantitas, paulatim augeri debet, & plus temporis ab assumpto interponi. Loco succi hordei, etiam lac assumere potest, si placet. Somnum diurnum non admodum laudo, nisi fortè noctu non satis commodè dormierit. Post assumptum lac manè, quæri debet somnus: nam non minus humectat, quàm quoduis aliud medicamentum. Post illum somnum à lactis assumptione, priùs quàm surgat è lecto, debet vniuersum ipsius corpus leniter manibus, aut linteo perfricari, atque postquàm modicè incaluerit, inungi parum olei amygdalarum dulcium ventriculus verò totus vngi debet eo linimento quod subscribimus.

℞ Olei

℞ *Olei citoniorum. Ol. rosacei completi ana ℥ j. Dactyli infusi in vino clareto & cõtusi num. iij. masticis ℥ j s. Vnguenti rosacei ℥. iij. cum pauca cera noua, fiat linimentum, lauetur succo rosarum, vel omphacio. Seruetur pro ventriculo & hypochondrijs. Exercitium quale debeat esse, superius diximus, admodum mediocre, & non statim à cibo: nam otium (quia humectat magis approbari debet, dummodo accedat tantum exercitium, quantum distributioni alimenti per corpus suffecerit. Ab animi omnibus motionibus diligenter abstinendum, sed maximè ab ira, & melancholia: nam plus cæteris corpus siccant. Viuendum quantum fieri potest hilariter & iucundè. Aërem nubilosum, frigidum vehementer, & calidum: fumum item fugisse vtile fuerit. Venus nullo modo ex vsu est. Et quoniam aluus difficulter soluitur, & excrementa sua non reddit, omnino singulis tribus aut saltem quatuor diebus inijci clyster debet, qui humectet, & eluat feces. fieri debet is ex iure carnium, vel ex decocto capitis veruecis, vel pedum aut intestinorum animalium, vel hordei, vel herbarum suprà scriptarum, cui dulce oleum vel butyrum, & Zaccharum admisceri debet. Laudo etiam vel alternis vel singulis diebus, vel tertio quoque die inijciat hora prandij in iusculum capi vnciam vnã optimæ mannæ. Et si aluus non responderit, aliquando illius augeri quanti-*

tatem velim. Cras item, aut si hoc fieri nequit, sequenti die, velim accipiat optimæ mannæ vncias tres, aut paulo plus, dissoluat in iure capi in quo bullierit lactuca, malua, & pauca folia petroselini, atque id ius bibat hora vna ante prandium, sed eo die assumat lac suum paulo tempestiuius solito. hæc sunt quæ scribẽda putaui, & obseruanda in curatione dispositionis huius Nobilis viri. Sed quoniam ex lacte maius iuuamentum speramus: & id non solùm, vt cibum exhibemus, sed pro medicamento damus, maxima diligentia adhibenda est, vt sit quàm optimum. Optimum lac erit, si asina sana sit, bene nutrita, iuuenis, & non longè à partu. Auferri ab ea debet pullus quem lactat, singulis diebus exerceri parum strigili, & asperis pannis vel stramine perfricari. Nutriri debet optimo fœno, auena, ordeo, herbis, sed maximè his quas diximus superius, item folijs cucurbitæ, & ipsa cucurbita. Vbi mulgenda est asina, fiat in loco vicino cubiculo, ne lac ab aëre alteretur, & ne frigescat. Mulgeatur in vas duplex, hoc est, contineatur scyphus in alto vase pleno aquæ calidæ, quemadmodum coràm ostendimus. Atq; hunc modum & ordinem curæ prosequatur per aliquot dies, atque intereà temporis de successu faciat nos certiores, neque prætergrediatur vel in minimo hanc viuendi rationem, alioquin nihil emolumenti persentiet. Etenim morbus longus

est, magnus, curatu difficilis, quia habitum fecit, & ex ijs est qui egerrimè extirpari possunt. Lugduni.

Consilium nonum In affectu Hypochondriaco pro ciue Lugdunensi.

Affectus, quo hic vir detinetur, ab antiquis & Græcis Medicis hypochondriaca Melancholia dicitur, alij flatuosam vocant, Arabes Myrachiam. Quòd autem ea sit dispositio nulli dubium esse debet, quandoquidem respondent effectus, & symptomata omnia, necnon causæ attestantur: ex quarum cognitione res ipsa dilucide & abundè innotescit. Lien obstructum est, vna cum mesaraicis venis insigniter ab humore melancholico & feculento, ad cuius generationem primum naturalis hepatis, & iam adscititia caliditas fecit, cum insigni simili temperatura vicinarum earum venarum. Quæ causam dederunt, vt ventriculus frigidior longè quàm naturalis constitutio admittebat, effectus sit. Qui cùm plus satis appetat, parum concoquere posit, fit vt chylus crudior relinquatur, qui ab hepate calidiore attractus, sanguinem nullo modo probum efficere potest: vndè primæ illæ obstructiones augentur, & fouentur, atque innumeri flatus, ructus, murmura, rugitus citontur

tur, partim tum crudæ, & viscidæ materiæ, tum fecis sanguineæ ratione, partim propter earum venarum & hæpatis calorem generantem, & excitantem ex hac materia flatus. Hanc etiam ob causam videntur hypochondria sursum conuelli & anhelitus redditur magis impeditus. ventriculus frequentibus ructibus exercetur, atque ab ijs locis mouentur sæpe exhalationes quædam calidiores, quæ vbi pectus peruaserunt, caput verberant, vndè aliquando sudores cientur, aliquando catharri mouentur, aliâs caput dolet. Et subinde tristitia, & metus, mœstitiáque insequitur, non tam cerebri, quàm patientis cordis affectione. Quod & si nouum, præter rationem tamen videri non debet, quandoquidem ratio hoc ipsum dictare videtur. Etenim cui animositas, cui audacia, cui gaudium parti ascribitur, illi ipsi etiam ex natura contrariorum, aßignari debet pusillanimitas, timor, & mœstitia. At illi cordis sunt affectus, non cerebri, omnium philosophorum sententia, non solius vulgi opinione: quare & hi necessariò cordis erunt non cerebri. Vbi ipsa acceßio vrget, loca affecta, & ventriculus mirum cruciantur, neque ab illis cruciatibus libera euadunt, prius quàm aut vomitu, aut excretione per fluxum noxia materia, & hypochondria flatibus extendens, præcipitetur. Quod autem sursum vomitu eijcitur, quia à ventriculo

frigido, & debili effunditur, omne pituitosum est, viscidum, crudum, album, aliquando saporis expers, aliquando subacidũ vel subamarũ. Quod per inferna discedit, nigricans planè & flatulẽtum, atq; omnino melancholiæ soboles, quod aliquando magis permixtum, neq; partibus dissolutis, sed vndique cohærẽtibus, vt vix loca madefaciat, aut ijs quæ incidit, adhæreat: quia sæpe pituitosa materia ex frigidiore vẽtriculo elabens, & in ipsis ductibus colorẽ ex proximis mesaraicis venis nigrũ ab humore melancholico assumẽs. Cùm igitur sit obstructio splenis, & magis meseraicarum venarum, in ipso hypochondrio, ab humore melancholico, generato à calido hepate, & venarum illarum φλέγωσι (non autem vt quidam malè reddunt inflammatione) generentúrq; omnia illa symptomata, quæ hactenus ab omnibus Medicis maximè à Diocle (qui omnium diligentißimè de eo affectu scripsit) enarrata sunt, sanè nullum dubium esse debet melancholiam esse flatuosam, & hypochondricam huius affectũ. Neque refert si desipientia hactenus nulla subsecuta sit, quandoquidem ea rariùs hanc insequitur: imò nunquã nisi is vapor ascendens vel humor in mentem repserit, & constitutionẽ cerebri labefactarit, quod non nisi successu temporis, & longa mora euenire potest. Hinc est quòd Galenus. lib. 3. de loc. affec. cap. 6. dicat non nisi aucto morbo melancholica symptomata superuenire

peruenire. Idem approbauit doctissimus Montanus, & quotquot vnquam diligenter scripserunt de eo affectu Medici, Neque in ea dispositione semper timor & tristicia subsequi debet: nam si hoc Hippocratis simpliciter verum esset, vbi timor & tristicia longo tempore habentes perseuerarint ex eo atra bilis significatur: deberet etiã oppositum ita se habere, vt scilicet in quocunque corpore atra bilis cognoscatur, statim timor & mœstitia insequerentur, quemadmodũ Galenus hunc aphorismum intellexisse videtur. Sed permultos videmus cancris, elephanto, quartanis, & id genus aliis laborare, qui nullo timore vel mœstitia detinẽtur. Quare ego aphorismũ ita intelligendum puto, vt si timor & mœstitia longo tempore perseuerent, atram bilem (vel quod melius est μελαγχολικὸν) significat aut cor, aut cerebrũ affecisse, atque ita sententia conuertitur, aliâs minimè. Quod ad desipientiam attinet, non semper verũ est, imò in paucioribus hoc obseruatur: quandoquidem non quamlibet melancholiam ea sequitur, sed quasdam eius species, quæ in paucioribus generantur. Hæc ferè præter propositum scripsi, nam remedia ea volebam narrare quibus morbum curatum iri arbitror. Tamen hoc obiter addam, morbum curatu esse perquàm difficilem, tum ratione succi, ex quo ea obstructio facta est, tum etiam hepatis & ventriculi diuersarum, & oppositarum intemperierum ratione,

continentium eam, & fouentium dispositionem: necnon quòd quasi eæ partes in habitum, eum affectum susceperint. Verùm ob id salus desperanda non est, immò vehementiori conatu cura aggredienda, in qua & ætas & constitutio corporis, & anni tempus agentem confirmabunt. Putarunt quidam Medici diarrhœam affectum esse, qui affligit, & contra illam pugnandum, ijs, quæ roborant, & leniter astringunt, ne materia tam præceps laberetur: sed id nullo modo fieri debet: nam dum materia generata est ijs in locis noxia, expurgetur necesse habet, nisi aliquod maius periculum ab ea retenta expectari velis, quam expurgationem Hippocrates etiam laudauit, vt colligere est ex 6. aphorism. 48.

Quòd ad curationem atttinet, ea necessario, vt morbus ipse, longa futura est: in qua summopere videndum, ne quicquam quod exhibeatur sua frigiditate ventriculo obesse, vel caliditate sua hepati molestum esse poßit. Fugienda item omnia vehementer soluentia. Nam illa vt calida calorem hepatis acriorem relinquunt: vt inimica naturæ, omne calidum naturale, & omnes facultates partium, & maximè debilioris ventriculi labefactant, dißipant & dissoluunt. Quare eum velim hoc modo curam auspicari, quam tamen doctiorum & exercitatiorum in arte Medicorum iudicio vos subijcere volo. Primo accipiat

manè

manè hanc potionem lenitiuam.

℞ Polipodij quercini ℥ j.
fol. senæ ʒ iij. Epithymi ʒ s.
infusorum in decocto liquiritiæ, passularum, flo. violarum, canellæ q. s. syr. ros. sol. ℥. ij. diacatholici ʒ ij. misce, Fiat potio, detur in aurora, & quiescat domi ante prandium. Posteà per septem dies assumat hunc syrupum manè in aurora, & superdormiat si potest.

℞ sir. de fumoterra. Syr. de cichor. Nic. sine rhab. Syr. de pomis ana. ℥. s.
decocti sequentis ℥ iiij. misce

℞ sene ʒ ij. polypodij ℥ s.
rad. borraginis, Liquiritiæ ana ʒ vj.
Capill. ven. saluiæ vitæ, Cætrach. agrimoniæ recent. ana m. j. passul. p. j. s.
plantaginis ℥ j. s. Coriandrorum ʒ ij.
Canellæ ʒ s. coquantur secundum artem pro syrupo, & post duos aut tres syrupos assumptos, placeret mihi sectio venæ communis, brachij sinistri, & si videretur sanguis crassus, velim ad octo aut decem vnc. extrahi: sin tenuis, statim supprimi, experientia cum ratione docent, & Galenus attestatur, primo ad Glauc. de quartana. Assumptis omnibus illis syrupis exhiberem illi hoc medicamentum.

℞. Rhabarb. elect. ℥ iij. infunde in ℥ iij. aquæ plantaginis per horas tres, pòst excoletur

& aqua abijciatur, deinde infunde rhab. in vino albo, & aqua cetrach. per horas 12. fol. senæ ʒ iij. polypodij quercini ℥ s. Epithymi ʒ j. infus. in decocto s. plantagi. prunorum, liquiritiæ, canellæ q. s. cui adde syr. ros. sol. ℥ j. s. misce. fiat potio. capiat manè in aurora. Post hanc purgationem velim singulis diebus assumeret tria aut quatuor cochlearia subscripti syrupi, optimè præparati tribus horis ante prandium, posteà se paulum exerceat.

℞. s. plantaginis, pistaciorum non rancidorum contusorum ana ℥ j. Cort. citri exiccatorum ℥ ij. s. Agrimoniæ m. j. s. Tamarisci, Cetrach. Capill. Ven. recent. flo. borrag. ana. m. s. Absinthij pont. Rosarum ana m. j. Cinamomi opt. ℥ s. myrobal. chebulorum, indorum. ana ʒ iij. coquantur in aqua chalyblata q. s. secundum artem, & cum zaccharo albo fiat syrupus in bona forma in fine adde Galliæ mosch. ʒ s. & seruetur in vsum in vase vitreo. Huius vsum velim in multos dies prosequi. Aliquando vbi fastidium huius syrupi obrepit assumerem Conseruæ rosarum antiq. ʒ vj. Aromat. ros. ʒ j. s. misce pro vno bolo. Interea temporis prouiderem, vt singulis. 5. aut 6. diebus educeretur aliqua pars huius materiæ peccantis, quod his pilulis ante cibum

com

commodè fiet, quæ & ventriculum non offendunt, nec sunt hepati incommodo.

℞. Agari troch. Rhabarb. elect. ana ʒ j. specierum hier. S. Gal. Epithymi, florum borraginis ana ℈ ij. Aloes elotæ in succo rosarum ʒ ij. s. misce. fiat pasta pro pilulis cum syr. de cichoria Nicoli cum rhabar. Ex ea pasta accipiat ʒ j. singulis septem aut nouem diebus, & superbibat duo aut tria cochlearia syrupi sui suprascripti. Interim dum hæc fiũt debet etiam locus affectus prouideri extrinsecus applicitis remedijs. Et quia caput nondum tam malè affectum est, nec hepar vehementius vrget, poßitque illis, remedijs alijs prouideri, placet solùm ventriculo hic sacculus applicetur, & lien vicináque hypochondria hoc fomento manè sollicitentur, & statim sequenti vnguine liniantur.

℞. masticis ℥ s. Absinthij vulg. mentæ, pulegij, ana m. j. s. Rosarum rub. florũm labruscæ ana m. j. Cinamomi ʒ ij. Galangæ, Nucis mosch. ana ʒ j. Garyophillorum, Galliæ mosch. ana ℈ ij. puluerisentur omnia, & fiat sacculus ex serico interbassatus scuti forma pro stomacho, quo ventriculis continuò foueri debet. At lien & hypochondria maximè sinistrũ hoc decocto fouẽdũ.

℞. S. agni casti, fœniculi, anisi ana. ℔. j. pulegij, fol. senæ, anethi, rosarum, cetrach.

camomill. ana m. s. rad. althae ℥ ij. Absinthij vulgaris m. ij. S. portulacæ ℥ s. coquantur in aqua chalybeata q. s. pro fomēto cū spongia. Posteà abstersus locus inungatur sequenti vnguēto. ℞. Olei cappar. ℥ j. ol. de absinthio ol. amygd. dulc. ana ℥ s. Cort. capparum. Tamarisci. Cetrach. S. plantaginis. S. portulacæ ana ʒ s. S. agni casti, Rosarum rub. ana ℈ j. Ammoniaci dissol. in aceto. ʒ. j. s. cum pauca cera Fiat linimentum. Quòd si venam brachij non secuerit, autor fuero, vt primo quoque die post duos aut tres syrupos assumptos applicari curet duas aut tres hyrudines seu sanguisugas hæmorrhoidibus, atque aliquot vncias sanguinis exugi permittat. Euocandæ primum venæ, fomento ex aqua calida, vel panni asperioris aut foliorum ficus affrictu: nam ita tumescunt, & sese facilè produnt. Quod remedium tam est in hoc casu singulare, vt licet venam aperiat, omnino suadeam posteà semel atque iterum hac æstate reiteret: quandoquidem mirum in modum ea loca ex[illegible] purgat, quæ sunt in ipsius corpore affecta, & onerata: quòd hæmorrhoides propago sint illarum venarum, & venæ portæ vocatæ: quare etiam hepar refrigerat, à capite reuellit, & humorem melacholicum euacuat. Autor Hippocrates. 6. aphoris. 11. & 21. Item 6. epidim. sect. 5. aph. 25. necnon Cornel. Celsus lib. 6. cap. 18.

Iunio mense post expurgatum corpus laudo summopere

summopere balneum aquæ dulcis ex Araris potißimum, nō autē ex Rhodani aqua, manè, eo ordine quo dictum est. Humectat hoc mirum in modum: hepar & habitum corporis moderatè refrigerat, & multa alia facit quæ in hoc casu ex vsu esse solent. Quare Galen. lib. 3. cap. 6. de loc. affect. autor est, se permultos hoc morbo laborantes solo illo remedio à principio liberasse. Et ne ventriculo ea in aqua lotio incommodum inferre valeat, consulo vt in ingressu in labrum inungat ventriculi regionem oleo ex gariophyllis expresso cum pauca mastiche, vel simili aliquo linimento. Autumni tempore curabit ex maturo, & bono vino sibi absinthite fieri, eo modo quo diximus, & ad tertiā partē absinthij adijciet part. vnā radicū borraginis, & mediā rosarū. vires videre est apud Dioscoridē, lib. 5. vsum coram præscripsi. Hæc omnia, & quædā alia si opus fuerit, præscribenda putarem, ad quæ tamen subinde Medicū adhibebit harū rerū administratorē, atq; interim diligēti & ordinata victus ratione vtetur, quemadmodū dictū est: quæ omnia faciet eo diligētius, & maiori industria, quo morbus lōgior est, difficilior, & causæ vehemētiores.

Postquā hæc à me præscripta fuerūt intellexi, ante sexenniū huius morbi primā causam huic viro contractā esse, ex medicamento ex cantharidibus ad venerē excitandū conflato quod improbus & rerū ignarus Seplasiari⁹ cōcinnauerat & propinauerat. Hæc lectorem scire volui. Lugud.

Consilium decimum In imbecillitate ventriculi, catharro, obstructione primorum viscerum, atque in principio hypochondriacæ melancholiæ, datum clarissimo viro Augustano.

DIligenter consideranti constitutionem corporis tui, vir humanissime, hæc ferè occurrunt, quæ præter naturam molesta tibi esse solent, ventriculi imbecillitas, defluxus humoris à capite, qui aliquando subsalsus percipitur, & primorum viscerum, hepatis scilicet, venarum meseraicarum, & maximè splenis obstructio, quæ postrema videris hactenus parui fecisse, cùm solùm conqueri soleas de catharro, & ventriculo non satis concoquente. Verùm ego longè secus censendum arbitror, nimirum viscerum illorum obstructiones omnium maximè curandas esse, tanquam debilioris ventriculi, & capitis humore aggrauati potissimã causam. Quod verò de ea obstructione minimè, de aliјs autem magis conqueraris causa est, quia viscera illa abstrusa latent, nec edunt effectus manifestos in corporibus nostris, nec vlli quàm Medico conspicuos: cùm tamen ventriculus benè vel malè concoquens, & humor ex capite delapsus, statim ab vnoquoque promptè dignoscatur. Non arbitror hoc loco necessarium

rium esse de principum partium corporis tui temperatura naturali longiùs, exquisitiúsque præfari: nam vt hoc est alterius instituti, sic nõ multùm facit ad ea, quæ dicturi sumus, consequenda. Istud tamen præterire nõ licet, quod in iuuentute collatis principum partium temperaturis inter se, vniuersa corporis tui constitutio fuerit satis temperata, hac ætate succedẽte tempore, si quid à temperie declinat, id potius ad frigidum esse, excepto hepate, quod caloris quantitatem non videtur maiorem habere, sed in eadẽ proportione magis acutum, & intensum: vndè temperatura omnis facilè in melancholicam dispositionem inclinare videtur. Quod autem id verum sit, totus habitus corporis manifestè ostẽdit, & qui aliâs molesti fuerunt morbi, docent, qualis est quartana ante decennium affligens, & effluxus ille sanguinis olim largior, atque hoc tempore hæmorrhoidum successiuis temporibus eruptio. Sed vt ad rem ipsam accedamus. Conquereris de ventriculi imbecillitate, & humorum ex capite defluxu. Ventriculus non bene cõcoquit, aliquando dolet, eructat, excitantur in eo flatus, circa eius orificium persentitur quædam, sed exigua durities, & id genus quædam alia perpetitur. Caput commodius se habet, & solum seroso & excrementitio humore aliquando oneratur, qui delabitur subinde in pectus, aliâs in faucibus ipsis hæret,

nonnunquam in musculos collum, & caput mouentes decunbit, quo tempore etiam occiput exiguum dolorem persentit: quique in fauces destillat humor subsalsus percipitur: Quærendum iam, vndè huiusmodi affectus prouenire queant. Qua in re sciendum instrumentariam partem (quales iam dictæ sunt) in suo genere bene constitutam, pati innumeros morbos, similarium partium, ex quibus constant intemperiei, ratione. Nam harum operationes ex bona temperie consistunt, vbi ea vitiatur, actiones etiam lædantur necesse est, atque ea læsio varia & multiplex est, pro varia & multiplici partis intemperie. Verùm hæc longius esset omnia explicare. Veniam igitur ad tuum ventriculum, quem arbitror quàm deceat, & constitutio corporis requirat, frigidiorem esse: in altera qualitatum differentia, aut temperatum, aut parum in siccius labentem, etiamsi sæpe excrementis humidis oneretur. Ratione frigiditatis eueniunt ei omnia illa quæ diximus: hinc ructus subacidi, flatus, cruditates, inde illa interpositis diebus insignis appetentia, quam posteà cruditates sequuntur, & per aliquot deinde dies appetitus deiectio. Nam hoc solius frigidi est, plus appetere, quàm concoquere poßit. Hinc crudi vapores, maximè vicino hepate calidiore, multi onerant caput, ex quibus concrescunt superfluitates & cerebrum

debilius

debilius efficitur: quam ob rem cùm posteà non rectè concoquat, & assimulet sibi alimentum suum, multa relinquit excrementa, quæ (ne ipsum retentis ijs periclitetur) deorsum trudit: aut tu ansam præbes, vt illa vel calore dissoluta, vel frigore expressa descendant, & catharros generant: qui, prout diuersas partes inuadunt & occupant, diuersa symptomata inducunt. Verùm ex his partibus nulla est tam malè affecta, quin sua naturali facultate posset facilè ad temperiem redire, nisi haberet in alijs partibus harum dispositionum fomitem: quem ego in tuo corpore hepatis, & magis meseraicarum venarum, atque lienis obstructionem, cum manifesto huius tumore & duritie, esse non dubito: quæ constitutio eo propemodum mihi progressa videtur, vt principium melancholiæ hypochondriacæ, quam alij flatuosam, Arabes myrachiam, nominant, repræsentet Quandoquidem ab eo tempore quo quartana laborasti, meseraicæ venæ, atque lien crasso, fæculento, & melancholico sanguine obstrui cœperunt, cui accessit hæpatis, & venarum suprà dictarum eo tempore non exigua caliditas, quæ faciles sunt Diocle apud Galenum libro tertio de locis affect. teste, huius morbi causæ. Vnde procedunt rugitus illi in ventre, hypochondriorum grauitas, flatus ijs locis inclusi,
huius

hinc vicini ventriculi frigiditas & imbecilli-
tas, inde etiam caput non parum afficitur: quod
mirum videri non debet illis, qui subinde motu
& sensu priuari obseruarunt homines, quibus
solum ex ore ventriculi biliosus aliquis humor
haud diu permanens, ad caput effumat. Quod
cùm ita sit, quid fieri arbitrabimur ex feculen-
to & flatuoso eo humore, qui circa ventricu-
lum locis continuò insedit. Neque minus credi
debet hunc morbum eum esse, quem dixi, quod
hactenus vehementia illa symptomata non in-
duxerit, quæ à Medicis scribuntur, & nos
aliâs in laborantibus hoc morbo vidimus: nam
ea solùm grauißimo morbo, & iam consistente
eueniunt, non exiguo, & solùm radices agente,
qualis hic est. Etenim sunt morbis sui gra-
dus & discrimina, & in eodem genere morbi
diuersæ species. Huc accedit, quod minus mali
fecerit hactenus, quoniam hæmorrhoides natura
sponte sua subinde aperuit, quæ solent hæc loca
istis humoribus egregiè exonerare: imò omnibus
illis quibus res cum melancholico humore est,
non parum prodesse: quod Hippocrates obserua-
uit xj. aphoris. lib. vj. Hæc sunt quæ de his di-
spositionibus, tum earum causis, & effectibus
dicenda puto. Quæ verò de earum euentu præ-
dicenda sunt, sic habeto. Cùm eæ dispositiones
sint non admodum validæ, nec multùm à natu-
rali statu discesserint, sintque in corpore alioqui
bene

bene in cæteris constituto, in ætate vigente, verisimile est adhibita diligentia, & cura aliqua, non magno negocio posse restitui, & corpus à grauioribus, qui aliâs imminent, morbis præseruari. Suspecti autem habendi sunt morbi, nisi tollatur hæc obstructio, præter quàm ea symptomata, quæ melancholia hypochondriaca inferre solet, quartana febris, vel aliqua alia erratica, & longa, vel aqua inter cutem: quod ratio ostendit, & experientia sæpe docuit: necnon ex Hippo. lib. 7. Apho. 5. promptè colligi potest. Verùm ne ea quæ diximus, succedant, sed vt penitus liber ab ijs euadas diligens cura adhibẽda est, paucis quibusdam adhibitis remedijs, sed potissimum exacta viuendi ratione instituta. Quod ad viuendi rationem attinet, obseruandus ordo, modus, tempus, qualitas, quantitas, & id genus conditiones in cibo & potu, aëre, somno, & vigilia, motu et quiete, animi affectibus, & excrementorum omnium retentione, & excretione. Et vt à cibo auspicemur, abstinendum est in his affectibus à cibis difficilis concoctionis, à cibis generantibus crassum, aut viscidum nutrimentum: à cibis natura sua multùm frigidis, tum etiam acutis, salsis, ab ijs item qui sua natura facilè caput vaporibus replent. In ijs sunt carnes bouinæ, suillæ, ouillæ, carnes sale conditæ, vel fumo exiccatæ: animalia quæ partim in aquis, partim in terra victitant: panis

i non

non ritè fermentatus, & malè coctus: legumina: lac & lactaria omnia: herbæ pleræque quæ in mēsam veniunt, fructus permulti tam crudi quàm cocti: bellaria multa, itria, & in his quæ plurimùm fiunt in Germania ex farinaceis confecta, & incocta pinguedine, butyro, aut oleo: pisces ferè omnes, sed maximè palustres, & lacustres, & ex ijs potißimùm quæ non sunt friabili carne, sed viscida, et glutinosa, quales anguillæ, alosæ, cyprini, tincæ & cet. Cibi item varij, tum aromatibus multis conditi, vina generosa, & id genus alia. Vtendum quoad eius fieri potest cibis boni succi, & facilis cōcoctionis. In his obseruãdus ordo, vt liquida & facilioris coctionis alios præcedant: neque illi excedant modũ: assumantur stomacho vacuo, & qui iam dudũ aliam coctionem absoluerit: eã quantitate quam natura, cõsuetudo, & vētriculi robur admittit. Vinum sit album, tenue, maturum, non dulce, nec austerum, cuius generis sunt multa Rhenensia: æstate, temporibusquè calidioribus, & quando catharrus vrget, dilutum, aliàs simplex. Obseruandum etiam ne statim in ingressu mensæ bibatur, sed cum iam magna pars cibi assumpta est. Statim à cibo, tam prandio quàm cœna, suadeo assumas cochleare vnum puluerıs subscripti, nec pòst superbibas: Nam is concoctionem adiuuat, stomachum roborat, flatus discutit, caput exiccat, cerebrum confortat.

fortat, & catharros sistit. Is hoc modo parari debet.

℞. S. Anisi. S. fœniculi ana ℥ s. S. coriandrorum ℥ iij. Cinamomi ʒ j. mentæ hortensis ʒ ij. Liquiritiæ ʒ s. Cort.citri ℈ iiij. florum violarum, borraginis ana ʒ j. s. zucchari albißimi ℥ xiiij. Puluerentur omnia subtilißimè, & misceantur. Obseruandum quoque, vt iam dictæ conditiones in aëre non sint in aliquo excessu: fugiendus præter modum calidus, item intensè frigidus, tum is qui austrino halitu mirum in modum caput grauat. fugiendus omnis fumosus: nec ille laudandus est, qui hypocaustis Germanicis maximè ijs, quæ à plurimis frequentantur vel in quibus compotationes celebrantur, cõclusus, nec perflatus continetur. Is enim præter quàm quòd caput egregiè onerat, etiam dissoluit humores, & colliquat in capite, & pulmonibus, idémque natiuo spiritui est valde nociuus. Somnus non subsequatur statim cibum, sed saltem in horam vnam, aut alteram ducatur vigilia. Illud tempus, aut confabulatione iucunda, aut deambulatione leni trãsigatur, vel saltem lectione iucundioris alicuius historiæ. Sit prior in latus sinistrũ. postremus in dextrũ, nũquã aut raro supino corpore. Ratio intelligitur ei, q nostrorum corporũ, & tuæ dispositionis naturã agnoscit. Tẽpus sumatur p cõsuetudine, vel assumpti

cibi ratione, vt plurimum septem aut octo horarum spacio satis esse, & abundè solet. A prandio sit omnino nullus, nisi fortè consuetudo aut nocturnæ vigiliæ aliud suaserint. Etenim is eleuat, & excitat vapores, & non discutit, aggreditur concoctionem, non perficit. Exercitium in omni constitutione, & potissimùm in hac laudatur, moderatum. Fiat autem stomacho ieiuno, excrementis reiectis, tantum, quantum satis est ad excitandum naturalem calorem. Sit in aëre quantum fieri potest temperato, non iuxta profluentem, &c. Neque velim diem vel vnum interlabi, in quo non aliquod genus exercitij experiaris: Nam exercitium excitat calorem, eúmque quasi consopitum alioquin ad actiones naturales incitat, quo autore deinde excrementa omnia maximè quæ sunt in habitu corporis egregiè difflantur, & discutiũtur: quorum excretio summè necessaria est. Quapropter ea excremẽta quæ exercitium discutere nequit, quærendum singulis diebus deponantur. Et si fortè fortuna aluus non satis singulis diebus responderit, quod solet sæpe in hac dispositione euenire, suadeo vt hora vna ante prandium assumas cochleare vuarum passarum præparatarum eo, quo præsentes diximus, modo. Si ex illis assumatur solùm cochleare vnum alternis diebus, vel prout aluus responderit, mirum in modum præseruat corpus à morbis, excernit super-

flua

flua ventris & ventriculi, primas venas sine molestia expurgat, corroborátq; illas omnes partes, quæ ipsius facultates experiuntur. Cætera verò excrementa, nimirum capitis discutiuntur multùm leni frictione panno calido, manè, maximè post pectitum caput. Eo tempore si gargarisetur aqua, vel tenue vinum infusis saluiæ vel betonicæ folijs ex re fuerit. Item si hoc ipsum egelidum naribus attrahatur. Animi motus sint quoque moderati, & in his maximè ira & tristicia, vel animi mœror: nam illi sunt ex omnibus vehementiores, & permultùm in tuo corpore obesse possunt. Sed hæc fortè longiùs prosequutus sum: veniendum igitur ad pauca ea remedia quæ ex vsu fore arbitror. Et quoniam inuenimus in tuo corpore stomachi imbecillitatem, defluxum humoris, aliquando salsi, ex capite, ac primorum viscerum obstructiones, quas arbitror prædictorum effectuum causas tam effectrices quàm fouentes, & conseruatrices, rei natura exposcit (quoniam illæ nisi his ablatis curari nequeunt) vt ab harum ablatione curationem auspicemur. Nam sublatis his, & stomachus concoquet, & caput vapore, aut humore non grauabitur: & cætera symptomata, si quæ sunt, cessabunt: nec vlla erit alterius insequentis suspitio. In qua curatione (nisi potius præseruatio dici debeat) illud etiam obseruandum erit, vt intereà temporis, & stoma-

cho prouideatur, & capiti iuuamentum concilietur, quod sanè haud difficulter fieri poterit. Vt igitur hæc aptè fieri queăt, consuluero leniter corpus expurgetur medicamento hoc subscripto, cuius vis, & facultas primas venas non transgreditur, sed vicina ventriculo loca absque incommodo expurgat, eúmque corroborat.

℞. Hieræ S. Galeni ʒ vj. Cassiæ recent extract. ʒ iij. Rhabarb. ℈ ij. cum Zuccharo. fiat bolus, qui inuolutus degluriatur duabus aut tribus horis ante prandium. Insequētibus deinde diebus aliquot vtile fuerit subscripti Zulapij tria aut quatuor conchlearia mane, ieiuno stomacho, assumere, eiusqúe vsum cōtinuare. Quandoquidē mirandum in modum liberat meseraicas venas, hepar & lien ab obstructione: ventriculū modicè calefacit & roborat, quæ in eo sunt excremēta incîdit, abstergit, caput exiccat, & confortat, nutritionē adiuuat, bonúmq; corpori colorem cōciliat: quēadmodum vnicuiq; docto medico constare poterit, & mihi experientia sæpe compertum est: neque vlli membro in corpore tuo obesse poterit.

℞. Agrimonij m. j. s. Absinthij, Tamarisci, Cetrach, Capillor. ven. florum Borraginis fol. senæ ana m. s. Cort. Citri ʒ s. Pistaciorum nō rancidorum cōtusorum. S. plantaginis ana ʒ vj. Liquiritiæ ʒ iij. myrobal.

bal. chebulorũ, Indorũ ana ℥ ij. s. Cinamomi ℥ ij. Herbæ recentes sint, sed paulũ in vmbra exiccatæ. Coquãtur omnia secũdũ artẽ in aqua q. s. deinde cũ sufficiẽti quant. Zacchari albi fiat syrupus in bona forma, cui postremò adde Galliæ moscatæ ℥ s. Sandalorũ citrinorũ ℥ j. & seruetur in vsum vt dictum est. Interim dum eo vteris, suadeo vt cures sanguisugas seu hirudines duas aut tres hæmorrhoidibus apponi, atque inde ad vncias quinque; aut sex sanguinis exugi, quod singulare remedium esse in omni melancholica dispositione ex Hipp. 6. Aphoris. 11. & item. 21 didicimus: at in hac tua præsentaneum esse experientia ostendit, & ratio docet. Nam venæ quas hæmorrhoides appellamus, ferè omnes originem ducunt, & propago sunt venæ portæ vocatæ, & meseraicarum. Huc accedit quod ex harum apertione nullum incommodum aut virium dissolutio insequi potest, quod tamen subinde in sanguinis missionibus obseruamus. Quapropter arbitror multùm ex re fore, si insequenti autumno hoc idem remedium reiteretur, sed in minori quantitate sanguis dematur. Quo tempore etiam placeret assumptio infusionis senæ, et epithymi, vel in sero lactis, vel in iure pulli: vel decoctio epithymi ipsius Mesues eo modo cõcinnata, quo tũ tẽporis alicui docto medico præsenti visum fuerit. Post primã hãc leuem purgationẽ corporis, vt vẽtriculus magis suo officio

satisfaciat, suadeo vt continuò applicitum ventriculo hunc sacculum habeas: is enim eum moderatè calfacit, concoctionem procurat, & egregiè roborat.

℞. masticis ʒ vj. Absinthij vulg. Mentæ hortensis, Calamenti siccarum ana m. j. s. Ros. rub. florum labruscæ ana m. j. Canellæ, Garyophill. ligni aloës, Calami aromat. ana ℈ ij. Galangæ ʒ j. s. Cimaturæ panni scarlati, vt vocant, tincti in grana, infusæ in vino maluat. & exiccatæ m. ij. puluerentur, & mixtis omnibus fiat sacculus ex serico, scuti forma interbassatus pro stomacho. Vbi venter non respondet, & ventriculus persentitur fortè cruditatibus aggrauatus, suadeo ante cibum hora vna aut altera deglutias aliquando vnam, aliquando duas pilulas pisi magnitudine, ex hac pasta confectas, quæ stomachum confortant, eúmque & vicina viscera blandè expurgant, & à capite reuellunt.

℞. Specierum hieræ. S. Gal. ʒ ij. Masticis ℈ ij. Agarici tros. Rhabarb. electi ana ʒ s. cum syrupo suprà scripto, fiat pasta pro pilulis. Hac imminente æstate laudarem aliquando vsum zacchari rosacei ex rosis maturis manè horis duabus ante cibum: & si interpositis diebus eadem hora aliquando chebulum vnum conditum vel partem radicis zingiberis

ziberis confecti Zaccharo assumpseris, plurimum iuuamēti adferet, & sanitatē conseruabit. Præterea post reditum ad tuos, viribus ab itinere resumptis, & leniter expurgato corpore, laudo mane frequētem vsum aquæ balnei dulcis ex aqua fluuiali potiùs quàm puteali, calefacta, ad horæ ferè spacium, à quo aliquandiu quiescendum in lecto, & pòst leniter inungendus vniuersus corporis habitus oleo amygd. dulcium, recenti. In ingressu balnei, ne vētriculo illa lotio obsit inungendus primùm oleo ex garyophillis confecto, pauca masticbe admixta. Hoc balneum in ea dispositione mirè proficuum, & in eo habitu corporis summè laudatur, quemadmodum multis rationibus ostendi potest: & hactenus à Galeno, & præcipuis Medicis experientia cognitum. Nullum balneum naturale ex vsu est, quod ad lotionem attinet. Quandoquidem ea omnia exiccant, & licet quædam refrigerent vt ferrea, plumbea: tamen sua adstrictione condensant meatus coporis & fuliginosa recrementa retinent, internáque viscera magis inflammant. Quod ad potum attinet, admitti possent ferrata, & modicè aluminosa balnea, quæ in huiusmodi dispositione sæpenumero proficua cognoui: nam omnes obstructiones facilè eluunt, viscera mediocriter refrigerant, & magis corroborant: nec ventriculo, licet frigidus sit, obesse queunt, quod alumen facit, & ferri quali-

tas secunda. Italia huiusmodi multa habet, sed maximè celebre Lucense de villa item Calderianum in agro Veronensi. Quod item de Porretta dicitur Bononiense vt ne fuerit. Vsus horum est (si vnquam fortè datur earum aquarum commoditas) vt leni aliquo pharmaco, expurgato corpore, sequentibus diebus decem aut duodecim ex ordine accipiantur mane ieiuno stomacho aquæ libræ tres aut quatuor vsque ad sex aut septem: quibus per vrinam aut ventrem redditis, prandium assumitur moderatè: quod si non reddatur, ante cœnam leni clysmate euocanda. Eo die quo assumpta est, nihil omnino somno indulgendum: nam obseruatum est plurimùm obesse: licet corpora multùm eo die somno grauantur. Singulis quatuor aut quinque diebus intermittendus dies, & recreandæ vires. Aquam calidam assumunt omnem dimidiæ horæ spatio, id quidam in lecto faciunt, atque decumbunt, quoad ferè omnis reddita fuerit: alij leni deambulatione deponunt, prout diuersæ hominum temperaturæ, & conditiones fuerint. Omnibus tamen hoc commune, vt corpora quantùm possint à frigore defendant. Tempus assumptionis ferè maio, & Iunio, item Augusto & Septembri mensibus: quo tempore neque frigus molestum est, nec calor corpora perurit. Scripsi de Italicis aquis,

quarum

quarum vis in hac dispositione tua mihi experientia cognita est: nam Germanicas non vidi, nec expertus sum ipse: Quantum tamen possum ex aliorum doctorum hominum scriptionibus consequi, potus aquæ balneorum apud Ellenbogen Boëmiæ oppidum, vel quæ sunt in Alsatia apud Gebersvueiller, vel acidorum quæ sunt apud Geppingam, ex vsu nisi fallor multùm foret. Quod si Geppingæ aquæ potus tuis celeberrimis Augustanis medicis in curatione tui morbi probatur, laudo potius vt ea vteris, quæ Ibrigkingæ est: nam eiusdem naturæ est cum Geppingensi & Geislingesi, quasi ex eisdem fontibus ortæ, licet his sit illa magis efficax & medicata magis. Sed quicquid illud est, ego relinquo doctissimis tuis in Germania medicis. Autumno deinde insequenti, omnino autor fuero, vt tempore vindemiæ cures tibi ex bono albo maturo vino, absynthite concinnari, eo modo vt sint in vino quatuor partes absinthij, vna radicum borraginis, & semis foliorum senæ: cuius deinde vsus vix dici potest, quanto iuuamento futurus sit omnibus tuis his dispositionibus. Nec est quòd absynthij caliditatem verearis, licet solum fuerit: nam ea à frigida & terrestri parte quæ est in absynthio facilè, & abundè infringitur. Verùm hoc loco borrago etiam contemperat.

Vire

vires huius vini videre est apud Dioscoridem libro quinto, quare hîc nihil addo. Solum illud scire oportet, hoc vino vtendum manè ieiuno stomacho duabus aut tribus horis ante cibum. Quo tempore laudarem si paululum panis biscocti assumas cum pauco puluere ligni aloes. Hæc sunt quæ in his dispositionibus corporis tui consulenda duxi: quæ si diligenter, ita vt scripta sunt, administrentur, seruata item ea victus ratione, nullum mihi dubium, quin breui ab omnibus ijs liber euadas, integrámque sanitatem recuperes, & cæteris omnibus venientibus malis occurras. Cura vt valeas. Luguduni.

Consilium vndecimum In hepate & renibus calidis, ventriculo frigido & capite destillationibus obnoxio, ad nobilem & doctam mulierem Lugudunensem.

AFfectus qui te, mulier honestissima, male habent, facilè cognoscuntur etiam ab artis ignaris, sed causas eorum cognoscere artificis solùm est, & hominis exercitati, quas ego lubens explicabo, vt omnis affectuum natura intelligatur: vtque tantò faciliùs his ipsis, aptis & conuenientibus remedijs occurrere valeas. Sed priùs quàm rem ipsam aggrediar, in pri-

mis non ignorandum, omnibus, atque adeò singulis partibus nostri corporis innasci in vtero matris certam quandam constitutionem, certúmque temperamentum, cuius ratione fit, vt hoc membrum illo sit longè infirmius illud contrà validius, tum propter sanguinis mistionem & seminis in vtero conceptionis tempore: tum ob syderum astrorúmque aliquem influxum: tum propter aliquam in patre vel matre insignem affectum: cuius seminarium quoddam cum semine paterno, vel materno sanguine in nos quasi hæreditario transfunditur. Vnde ferè contingit vt parens podagricus creet sobolem eidem morbo obnoxiã: ita nephritide, asthmate, catharro, epilepsia laborans pater, vt plurimùm filium his iisdem morbis obnoxium relinquit, & sic in cæteris. Hinc etiam accidere videmus, vt alter altero magis infestetur catharris, obnoxius sit hemicraniæ, negotium habeat cum epilepsia: quidam citiùs surdescant, vel frequentius in lippitudines incidant, aut dentium erosiones, vel gingiuarum putredines patiantur, propterea scilicet quod ita primùm fuerunt à natura constituti, vt præ cæteris membris infirmius haberent caput. Ad eundem modum qui naturaliter debiliore sunt pectore formati, vt plurimum tussi continua, difficultate anhelitus, pleuritide, laterum doloribus affliguntur. Eadẽ est ratio ventriculi, qui si iam inde ab initio imbecil

becillus est, cruditates, vomitus, flatus, ructus, subuersiones stomachi, κοιλιακοὺς dictos, cholicos, & alios dolores gignit. Sunt etiam hepati sua incommoda: siquidem pro varia eius sorte, obstructiones aut patitur, aut erisipelata: scirrhos, inflammationes, lepram, scabiẽ, aquas inter cutem infert vniuerso corpori, reliquáq; id generis mala pro qualitate sua & dispositione. Idem iudicandũ derenibus: vndè calculus, profusiones vrinæ, aut ipsius retentio, mictus sanguinis. Iuncturæ quoque naturâ inualidæ arthritidum variarum sunt causa. Et sic omnes reliquæ partes nostri corporis, nec quisquam nostrûm est, qui planè liber sit ab eiusmodi symptomatis. Quòd si statim dum vires integræ sunt, hæc non omnibus se produnt, tamen tempus & ætas semper aliquid secum adfert, de quo conquæraris. Quanquam fatendum est illud accidere vni citius ac grauius quam alteri, prout hac vel illa viuendi ratione & alijs atq; alijs negotijs vsus, hanc partẽ magis quã illã vel exercuit, vel afflixit: atq; ab huiusmodi aliquo qualicunq; morbo, nemo est qui se perfectè liberare queat, licet diligẽtia, & accurata viuẽdi ratione tãtũ possit q[ui]sq; cõsequi, vt et in publicis et in priuatis negocijs superesse, & satisfacere queat. An alicui ex his obnoxia sis: & quis ille sit, mihi sanè non constat: adducor tamen vt facilè credam tibi ventriculum fuisse à primis annis in-

validum, & caput imbecillius: quæ partes etiam nunc præ cæteris male afficiuntur: quarum dispositionem assequeris multò faciliùs si temperamentum aliarum tui corporis partium primùm explicauerimus. Qua ratione sciendũ cordis tẽperamẽtũ te habuisse naturâ calidũ, hepar item & cerebrũ calidum. in cæteris autem qualitatibus passiuis scilicet, haud longè à tẽperie. Quod vt rationibus multis demõstrem, non est necesse: satis illud ostẽdũt effectus partiũ corporis, animaliũ, vitaliũ, & naturaliũ. Hinc est illa ingenij prõptitudo, & alacritas, iudiciũ solidũ, sensus accerrimi, et motus aliâs toto corpore velocissimi. Hinc etiã viuacitas illa & animositas, quãta in muliere esse potuit: itẽ venarũ amplitudo, & si quæ sunt alia id genus signa. Atqui horũ viscerum primorũ tẽperamẽtũ consentiens facit, vt totius habitudo calida reputetur & biliosa. Etenim totius tẽperamẽtũ ex horũ tẽperie æstimatur, docẽte Galeno in arte medicinali, & in lib. de tẽpera. Hinc aucto paulatim, accrescẽte ætate, calido tẽperamẽto, maximè ipsius hepatis, factũ est, vt renes calidiores fierẽt, vẽtriculus autẽ frigidior, & crudìtatibus paulatim aggestis, humore superfluo grauaretur. Nã id ferè fieri cõsueuit multis de causis: nõ solũ vt plerique credũt, quòd caliditas hepatis quicquid pingue est, in omẽto cõsumet, & suo calore impediat cõcretionem crassioris omenti, quod vẽtriculi ad colorem

confer

Hepar

conseruãdum quoddam tegumẽtũ esse debeat, ne tam facilis calor expiraret: sed etiam quia acrior & maior hepatis calor, vicinæ partis minorem dissipet, tum quòd calidius hepar per fas & nefas è ventriculo sæpe & multum cibum rapiat, priusquàm probè concoctus sit, & ab imbecillo calore ventriculi superatus. Huc accedunt & aliæ causæ, inter quas sunt haud parui momenti, mens irrequieta, studia, curæ, assidua lectio, quæ non excitant calorem naturalem, verùm consumunt atque resoluunt, quo deficiente debilitantur quoque partes, earúmque operationes, quod citius, & manifestius se prodit in illis partibus, quæ non sibi solùm seruiunt, sed quarum vtilitas communis est toti corpori, quod etiam sua intemperie tandem intemperatum reddunt. Simile quiddam ferè & tibi accidit, cui cùm sit ventriculus inualidus ex sua natura, & parum confirmatus, cuiúsque calor propter vicinam hepatis calidam temperiem sit egregiè labefactatus, & redditus imbecillior propter curas & assidua studia, plurimum crudi humoris & flegmatis generat, ægrè concoquit, vnde nascuntur tibi tormina, stomachi resolutiones, ipsiúsq; dolores, cholicæ passiones, appetitus deiectio, ructus, plurimum acidi, interdum fumidi prout magis vel minus calore vel frigore corrumpitur cibus in ventriculo. Proinde ventriculus ad hũc modum affectus, & caliditas hepatis vicina

causam

causam prebent, vt magna copia cridorum vaporum ad caput attollatur, Neque id solùm è ventriculo male concoquente, sed ex toto habitu corporis, & omnibus venis. Insuper cerebrum calidum, docente etiam Galeno, in his non modò admittit facile & amplectitur humores vaporésq; eo amandatos: verumetiam calore suo quodammodo allicit attrahitque, ita vt quouis tempore promptè crudos colligat vapores, vnde superflua excrementa generantur. Atque hoc modo imbecillius factum, neq; digerit, neque cõcoquit suum nutrimentum, sicut cætera membra ad conseruationem sui faciunt, sed potiùs corrumpit aut crudum relinquit: Vnde postea catharri, & alij ex capite in subiecta membra defluxus, quibus cum, deinde semper conflictandum est, qui prout in hanc vel illam partem labuntur & defluunt, varia excitant symptomata, & varios diuersósque edunt effectus: quod etiam sæpe & multum tibi vsu venit. Nam cùm è capite ad pectus delaberetur humor tussis causam dedit: cùm in buccam, sputi perquàm copiosi: modo in gingiuas dilapsus, tumore eas attollit, dentiúmq; dolores excitat continuos. Ad hæc nactus viam per neruos, præsertim lateris dextri, aliâs distendit collum, aliâs impedit ipsius motum vel etiam brachij debilem reddit, atque totum latus aliquando occupat, aut particulares aliquot musculos grauat, pro ratione alicuius nerui, qui hanc

vel illam partem motu gubernat, aut sensu regit, impeditos. Hinc est quòd sæpe brachium leui stupore præhendatur, sentiásque illud quasi spinis quibusdam lancinari, aut formicis interius refertum esse: idq; potissimum in extremis digitis, quòd sint cæteris partibus magis neruosi, longiúsque distent à caloris natiui fonte, & sensus, motúsque principio. Quod postremum etiam cùm sit valdè imbecillum, causam non exiguam præbet eius tuæ imbecillitatis, & laßitudinis, quæ est in vniuerso corpore. Hæc sunt quæ dicenda putaui de affectu ventriculi tui & capitis, quorum alterum est continuò calidum quidem & siccum, verùm maiore humiditate & excrementorum copia repletum quàm opus habet ipsius constitutio, quemadmodum in senibus multis videmus, & omnibus his, qui ad mentis actiones expediti sunt, & tamen catharris continuò obnoxij. Alter humidior, & frigidior quàm natura postulat, atque ob id inualidus mirum in modum, & crudorum humorum plenus. Postremò quod ad calidum hepar attinet, quod primum naturâ ita constitutum fuit, parno negocio, temporis successu, per ætatem & curas, calidius euasit, adeò vt ipsius caliditas & siccior effecta fuit, & magis intensa & acuta, vnde sanguis qui antè biliosus satis erat, facilè in melancholicum mutatur, quemadmodum

Galenus

Galenus author est, & experientia ipsa docet. Hepatis item caliditas ob vicinos calidos renes non parum aucta, ventriculúsque vt plurimum excrementis crudis onustus, faciunt vt multi cruai, & malè præparati succi in venas, vt diximus, rapiantur. Vndè in primis, & meseraicis venis permultæ obstructiones factæ, atque in venis ipsis magnis varij humores congesti, totáque sanguinea massa nullam seruet humorum proportionem. Quapropter fit vt menstrui fluxus procedant sine ordine, nunc certum, aliâs incertum obseruantes excretionis tempus: natura nunc pauca, nunc multa expurget: aliquando perpaucis diebus absoluat, nonnũquam in plures dies effluuium protrahat. Et quoniam sanguis ille aliâs biliosus est, aliâs serosus cum salsi flegmatis admixti ne, expelli sanè nequit innoxiè, sine indignatione potissimum vteri, quo tempore maius persentitur incommodum in ijs locis, quibus suis ligamentis vterus cohæret. Hæc sunt sympt mata omnia, & affectus de quibus conquereris: necnon causæ (nisi me fallit opinio) ex quibus hæc in membris mala constitutio, & intemperies sunt natæ. Porrò licet vnumquodque incommodum, & præcipuè capitis atque ventriculi per se sit graue & magnum, & multo tempore contractum: tamen cùm corporis vires sic satis sibi constent adhuc, ne-

que omnino collapsæ sunt, aut sic inualuerint affectus præter naturam, vt naturalem constitutionem totius penitus labefactarint, in spem venio, diligentia, & aßidua cura effici posse, vt, si non in pristinum sanitatis gradum, saltem in eum qui huic ordine proximus est, restituantur, quem postquam fueris consecuta, viuere poteris, & in negocijs tuis domesticis, & in studijs consuetis sine vlla querimonia: consequeris autem partim optima viuendi ratione instituta, partim quibusdam ijsque paucis medicamentis adhibitis: quorum alterum si negligas, periculum est, ne in grauius malum aliquod incidas, vel paralysim totius, vel alicuius particularis membri impedimentum: vt interim nihil dicam de ijs quæ ex frustrata humorum coctione euenire possunt. Quod attinet ad viuendi rationem, modus quidam & ordo seruandus est in cibo & potu: in exercitijs tam corporis quàm animi: habenda quoque est ratio aëris: somni, & vigiliarum: nec committendum vt his suus ordo, tempus, tum qualitas, & quantitas ac similes conditiones desint: ne caput alioqui infirmum offendatur, aut ventriculus imbecillus affligatur, aut hæpar plus satis natura sua calidum, inflammetur. Quòd aëris habendam rationem dixi, huc spectat: nam sol, & calor qualiscunque, preterquam

quòd

quòd augeant calorem in capite, reddantqúe illud ad recipiendos vapores è corpore sublatos magis obnoxium, dissoluunt etiam in eo omnia excrementa humida, colliquant ea, & catarrhos gignunt. Hinc fit vt statim ac quis cui caput humidius est, vel vaporum plenum, in solem prodierit, seseqúe ipsius radijs exposuerit, sternutamenta elidit: quibusdam etiam, defluente in proximè vicinos musculos humore in capite fuso, motiones colli voluntariæ impediantur. Item aër frigidus & penetrans, qualis aquilonus est, comprimendo quodammodo exprimit humores, & destillationes excitat. Videre est apud Hippocratem tertio lib. Aphorismorum, vbi etiã docet austrinos flatus mirum in modum noxios esse. Nam auster cùm grauis esse soleat & νεφεληγερέτης, caput tentat, ac replet superfluitatibus, obnubilat sensus, motúmq; impedit: vndè fit vt eo flante, non solum ægri, sed bene constituti sentiamus in nobis quandam laßitudinem & torporem non pespecta causa. Studiosè igitur vitandus est aër nimium calidus, frigidus, humidus: item venti, fumi, pulueres: & quo ad eius fieri potest, temperatus quærendus. In cibo obseruandum est, ne concoctu difficilis sit, aut viscosi, & craßi nutrimenti. Abstinendum etiam à natura frigidis, humidisqúe, necnon acribus, &

plurimùm calidis, & si qui sunt, qui natura sua nimium caput vaporibus onerant. Cibos concoctione difficiles, nemo ferè est qui non cognoscat. Varietas in cibis fugienda summopere, & abstinendum ab ijs qui arte, & coquorum industria sunt delicatiores facti, & variè conditi. Sit autem simplicissimus, isquè potissimum ex carne hædina, vitulina, veruecina iuniori, sed potius ex auiculis montanis quibuscunque, item ex ijs quæ quotidie in cibum veniunt, potissimum capis, pullis gallinaceis, columbis: ex his tamen abiecisse profuerit collum & caput, nam has partes obseruauit Auenzoar mirum in modum nociuas esse capiti: sed non opus est hìc omnia numerasse, quæ ex vsu esse possunt, quia omnibus ferè cognita. Verum abstinere decet, carne animalium grandiorum & annosorum, salsa, fumo indurata, animalium item victitantium & in aquis & terra: item leguminibus, caseo, quæ omnia non solùm difficilè concoquuntur, verumetiam crassos, feculentos, & quadam ex parte viscosos humores generant. Quod etiam dicendum de lacturijs omnibus, ex pasta confectis cibis, piscibus, maxime ijs qui carne sunt glutinosa, veluti alosæ,
tin

tincæ, anguillæ, & ferè omnes lacustres: item in stagnis alti, & fluminibus in quibus magnarum vrbium illuuie saginantur: quare si qui ex Arari in mensam veniunt relinquendi sunt, Idem de pane perperam cocto, & male fermentato sentiendum, idem de fungis. Frigidi natura sunt cibi, fructus propemodum omnes, siue crudi, siue cocti: magna herbarum pars, quibus vtimur in cibo: item pepones, cucurbitæ, cucumeres, &c.

Inter acria, & calida referendi tibi sunt cibi præparati variis condimentis, vina generosa, & grandia. Atque horum magna pars caput grauat, sicuti solent prope omnia calida, vt vina generosa, aromata, herbæ aliquot calidæ, eruca, raphanus, cæpe, porrum: quæ omnia etiam difficilè ferè concoquuntur, multóque tempore in ventriculo cruda hærent, quàmplurimósque vapores crudos exhalant: quod vsu venit omnibus illis quæ recensuimus. Quapropter cibi genus eligendum erit harum qualitatum expers, nec ad concoquendum difficile, tum quòd caliditate sua, neque hepar offendat, neque frigiditate ventriculum lædat, vel caput affligat: quæ quidem vulgo sunt adeò cognita, vt enumerare explanatius non

sit necesse: modus solum seruandus est & ordo in omni genere cibi. Optimum etiam est semper vti cibo, vt diximus, simplici in vna mensa: sin autem secus cuiquam videbitur, sumenda suaserim primùm ea, quæ liquida sunt & concoctu facilia, post hæc paulo solidiora. In quo negocio mihi hoc credas velim, tam noxiam esse varietatem in cibo, vt satius sit, & magis salubre simplici cibo vti deteriore, quàm diuersis & varijs bonis inter se mistis. In assumendo cibo hic seruetur modus, vt tantum sit interualli inter vtrunque, quantum concoctioni satis est. aliâs profuerit aut intermittere aliquando cibum, aut leuiter gustare. Vinum rubeum potius consulerem quàm album, non dulce, non acerbum, vel acidum, sed maturum, non tamen nimis potens vel fumosum: & tale si fuerit, per totum Maium syncerum assumi securè potest, vel saltē modica aqua diluendum. Erit quoque non inutile, si statim atque discubueris, non bibas, sed cum propemodum dimidium cibi assumpseris: nec vnquam vino arte nostra refrigerato vtaris, quocunque hoc modo fiat siue simplici frigida, seu dissoluto in ea sale nitro, vel niue (quæ est nostra intemperantia) in medios æstus conseruata & adhibita, vel quouis alio etiam modo. Conducet etiam si continenter post cibum capias cochlear ex hoc puluere, neq; posteà potu vtaris.

℞. S. Anisi. S. fenicul. ana ℥ j.

Mentæ

Mentæ hortensis siccæ. Cinamomi ana ʒ ij. S. Coriandrorum præparatorum ʒ j. s. Specierum diarrhodon Abbatis ʒ j. s. Liquiritiæ ʒ. s. Cort. citri siccorum ℈. iiij. Mastici ℈ ij. Zacchari rosacei tabulati lib. j. Puluerentur omnia subtilißimè, & misceantur. Hic puluis corroborat ventriculum, adiuuat concoctionem, flatus discutit, impedit ne vapores ascendant ad caput, mediocriter exiccat: nec tamen hepar inflammat. Exercitium tibi semper ex vsu est, adhibitum suo tempore, & habita qualitatis, quantitatis, loci ratione. Fuerit itaq; moderatum, & ad virium magnitudinem accommodatum: planéque eiusmodi, quod totum corpus exerceat, nunc pedibus, nunc in equo fiat. In primis autem in eo cauendũ ne vel mens, vel cerebrum affligatur: vel statim post cibum, vel in sole nimium feruente, vel in loco aquis vicino, humida potissimum tempestate, & cum aër craßior est & nebulosus adhibeatur. Ad hæc ad calorem naturalem vsque excitatum exercuisse se satis erit, nec facto exercitio statim reuertendum ad studia, aut properandum ad cibum, sed expectandum donec refocillentur vires: spiritu & fatigatione (si aliqua fuit inter exercendum contracta) remißis. Cæterùm quia magni est exercitium momenti, autor tibi fuerim, non illud omittas. Et si exercendi te nulla commoditas fuerit in vrbe, fiat ruri,

vbi velim te ad minus sanitatis tuendæ gratia per aliquot septimanas, vel menses etiam si opus est viuere. Etenim intermisso exercitio, calor quoque iacet tanquam ignauus, & torpore consopitus. Præterea quæ ex quotidiano nutrimento excrementa resultant, non dissipantur, aut discutiuntur, vt opus erat, & quemadmodum in illis, qui vtuntur exercitio, fieri consueuit. Conducet etiam studijs & speculationibus, in quibus tota es adhibere modum, hisque mediocritatem quandam præscribere, nec inuigilare ijs perpetuò, vt soles, & præsertim post sumptum cibum. Quòd si neque tunc à lectione abstinendum putes, sume in manus aliquid iucundum & cognitu facile, quod spiritus non longè anocet: vt est historia, in qua non opus est tanta cogitatione, idque saltem tantisper donec concoctio cibi in ventre perficiatur. Diligenter etiam consideranda sunt somnus, & vigilia: siquidem ille concoctioni prodest, hæc nutrimentum melius träsponit, & digerit, excrementáque pleraque pellit. Temporis habebitur ratio, si ineatur non statim post cœnam, sed iam horis duabus ad minimum præterlapsis. Tempus illud iocunda confabulatione, aut aliquo ludi genere placido, & delectabili transigendum, nec statim confugiendum ad libros, nisi fortè historia legenda alijs præ-
sentibus

ſentibus in medium proponatur. Poſt prandium diurnus ſomnus nullus eſto, quoniam ille materiam copiosè ad caput euocat, nec eam reſoluit, concoctionem inchoat, non perficit: vnde vel cibus corrumpitur, vel crudus relinquitur. Hinc procedunt tot ructus, oſcitationes, pandiculationes, grauedines, muſculorum ceruicis impediti motus. Non tamen hoc ita dico, vt vetem omnino ſomnum pomeridianum, quem interdum concedo, cùm anteacta ſcilicet nox fuerit inſomnis, & incommodè tranſacta. Metiendus tibi eſt & pro natura, & conſuetudine tua, & pro copia cibi aſſumpti: nam certa regula tibi à me præſcribi nequit. Homini quidem ſano ſeptem aut octo horas dormiuiſſe ſatis eſt. Peracto ſomno profuerit ſollicitare, vt cuncta coctionum omnium excrementa egerantur, quæ neceſſario corporibus noſtris innaſcuntur. Quod ſi aluus difficilior ſit, neque feces quotidie reddiderit, conſultum mihi videtur vt interdum ante prandium ſumas cochleare vnum aut alterum ex vuis paßis Corinthiacis probè purgatis, & elotis vino albo, & aqua ex violis diſtillata. Miſceantur, deinde cum puluere ſubtiliſſimo maturi rhabarbari adiuncto Zucchаro, hac proportione.

Vua-

Vuarum corinthiarum accipe lib.j. Rhabarb. ℥ s. Zacchari ℥ iiij. mixta & confusa seruentur. Vsus ante cibum aliquando cochleari mensura, bene mansæ dentibus, deglutiantur cum pauco cinamomo. Incredibile est quantum emolumenti hoc adferet ad conseruandam sanitatem: nam non modò sine incommodo aluum subducit, verùm etiam ventriculum, & primas venas expurgat, in quibus facilè generantur obstructiones potissimùm in illis, quibus est hepar calidum. Neque id solum præstat, sed expurgatas partes corroborat: & spero prorsus futurum hac ratione, vt & menstrui fluxus ordine reuertãtur, eductis nimirum ijs humorib. qui sanguinem efficiunt immundum & impurum. Vrinam qui hepate & renibus sunt calidioribus, facilè reddunt, eoq́ue faciliùs quo difficiliùs alui excrementa excernunt: quapropter ipsius expurgandæ modum hîc non docebo. Excrementa quæ per habitum corporũ excernuntur, è vestigio exercitium resoluit, dissipat, atque consumit. Capitis verò, per nares educenda, & per os expurganda sunt, & lotione & gargarizatione. Nec mihi displicebit, si ad hoc vtaris iam vere ineunte, vino dilutiore tepefacto infusis per noctem folijs saluiæ, betonicæ, & rosis: aliquando decocto hordei. Quòd si tum narium meatus obturati reperiantur, sicut sæpe cõtingit in

his

bis qui distillationibus obnoxij sunt, non infrugiferum erit, vbi te primùm laueris oleo gariophyllorũ inungere partes narium interiores. Caput item frictionibus, pectitionibus exerceri debet, atq; ita partim naturalis ipsius calor exuscitari, partim excrementa ipsius discuti. Animi motus sint mediocres operam quoque dare oportet: sed iracundiam & animi mœrores magis suspectos habere debes, quod ad hos sis magis propensa, & inclinata. Hæc mihi de administranda vitæ tuæ ratione vt dicerem, in mentem venerunt: quæ omnia ita velim accipias, vt tamen locum cæteris tuis postulatis apud me relictum existimes. Iam tempus est vt ea adiungam remedia quibus confido te posse pristinam sanitatem recuperare, vel saltem prouidere ne morbosæ dispositiones incrementum capiant. Quod quo fiat expeditiùs, singula capita quæ hactenus de ijs dicta sunt, in memoriam reuocare tibi statui. Sunt igitur, vt dixi, in tuo corpore potissimum hæ partes affectæ. Ventriculus frigidus & humidus, cruditate laborans, adeóque debilis, vt non nisi difficulter concoquat. Cerebrum calidius sua natura & siccum, humidum autem per accidens, quemadmodum sæpe in senibus obseruare solemus, plenum crudorum humorum, & serosorum, quê descendentes in diuersas partes corporis, alios atque alios affectus producunt, vt plurimum ta-

men

men neruos & musculos dextri lateris affligunt. Et hæc vt maioris in sanitate tua momenti, maiori egent consideratione. His accedit caliditas hepatis, & renum, & menses inordinati, totiusque extenuatio corporis: qui affectus ita se mutuò conseruant & adiuuant, vt alter curari difficilè queat sine altero. Porro frigidus ventriculus, & calidum hepar onerant caput coniuncta opera & debile reddunt. Debilitato eo infirmus redditur etiam ventriculus, nimirum ex partibus multis mẽbraneis cõstitutus, & neruis intertextus: etenim habet permultos neruos communicatos à cerebro. Caliditas autem quæ in hepate & renibus est, facit partim cùm generatur sanguis, vt improbus fiat, partim etiam talem efficit, excernendo plus æquo, quod in eo quasi superfluum haberi debet, atque ita malè proportionatos humores efficit. Vndè fit vt corporis habitus quasi consumptus sit, nullo aut perexiguo accedente ipsi nutrimento, & menstrui fluxus sine ordine procedant. Cæterum quia capitis, & ventriculi intemperaturæ maioris sunt momenti, primùm de illis agam, deinceps de reliquis. Caput natura sua calidum est, & superfluorum humorum plenum, opus est igitur conseruare caliditatem in eo naturalem, & remediũ inuenire quo excrementitius ille humor exiccetur, extrahatúrve. Generatur is aut in ipso capite,

pite, aut aliunde eò ascendit, vel vtraque causa caput grauat. Postquam caput occupauit, vel figitur humor in capite, vel collectus in partem aliquam vicinam distillat: & pro diuersitate partium quas occupauit, diuersa etiam remedia exposcit. Vt igitur paucis compræhendam quæ dicere volo. Humor excrementitius ille generatur partim in capite propter ipsius capitis imbecillitatem, partim eò vapor, & idem humor amandatur à ventriculo malè concoquente, & toto venoso genere ob hepatis caliditatem immodicam. Humor collectus in capite aut firmatur, vt dixi, & grauitatem ipsius dolorésque excitat, aut in proximè vicinos dilapsus spargitur. Vnde illi dolores superficinales cutis capitis, gingiuarũ item, dentium & vicinarũ partiũ, sæpe & multùm in ipsis figitur neruis, motionésque impedit. Quapropter necessarium fuerit, volenti hos affectus curare, diligenter operam dare vt superfluus excremẽtitius humor capiti ingenitus aut exiccetur, vt diximus, aut expurgetur, ne retentus, ibidem & continuò auctus tandem in proximè vicinos neruos labi possit, vel in aliam aliquam proximam partem se insinuare. Item animaduertendum ne nouus generetur, aut fortè generatus vt expurgetur danda opera. hoc fiet si medicamẽtis partim euacuetur manifestò, partim insensibiliter resolutus diffletur. Itẽ prouiden-

dum

dum ne ventriculus frigidior plenus excrementorum, & vicinum hepar calidius materiam imbecillo capiti suppeditent. Et quoniam vno eodémque purgante medicamento vtrique parti subueniri potest, & humor educi noxius ab vniuerso corpore, eo corpus fuerit expurgandum. Nam expurgatis primis venis, visceribus, & leniter euacuato corpore, poterunt sine detrimento facile in vsum adhiberi, quæ caput ab humore excrementitio, & seroso reliquo exiccent, atque deinde roborent. Purgatio, quam adhiberi velim, hæc esto.

℞ Pilularum de hiera cum agarico ʒ j. Rhabarb. ℈ j. cum syr. rosˊ. fiant pilulæ numero v. & deaurentur. Hæ pilulæ ventriculum expurgant, & ei proximas primas venas, à capite deriuant sine vlla corporis exagitatione, quod solet lenientibus pharmacis omnibus commune esse. Deuorabis has pilulas manè, pòst quiesces: assumi securè possunt, nec opus est vt à prandio die toto in cubiculo desideas. Assumpto hoc leni medicamento, autor tibi sum, vt manè cum expergisceris assumas tria vel quatuor cochlearia sequentis zulapij acidi, quod in decem vel duodecim dies continuare decet. Vis ei inest concoquendi, incidendi, attenuandi, abstergendi crudos, crassos, & viscosos humores, ventriculum calfacit mediocriter, obstructa aperit, caput à serosis exiccat & roborat. Est autem

autem huiusmodi.

℞ Cort. rad. fœniculi ℥ j. s, Betonicæ, Melissæ, Saluiæ, Endiuiæ, Cichorei integri ana m. s. passul. Coriand. præparatorum ana p. I. Aquæ lib ij. Aceti boni ℥ vj. Zucchari albi ℥ xiij. coquantur secundum artē ad formam syrupi, Aromatizetur cum Cinamomi ℥ j. s. Sandal. citrin. ℥ j. Seruetur in vsum. Postquam ad aliquot dies fueris vsa serapio hoc acido, consultum mihi videtur: vt electuarium hoc, quod subscribemus, assumas, quod sine vlla molestia & corporis exagitatione commodùm fieri potest. Ferè est eadem facultas, quæ suprascriptis pilulis, ad hepar calidum iuuat, obstructa liberat, renes mundat, caput, ventriculúmque expurgatum roborat. Deuoretur manè, & si posteà somnus obrepat, parum refert si is in horam vnam vel duas extendatur. Medicamentum hoc esto.

℞. hieræ picræ. Gal. ℥ v. diaphenicon ℥ ij. Rhabarb. elect. ℥ j. mixtis omnibus fiat bolus. Ad hunc modum leniter expurgato corpore, maximè primis venis, eísque proximis visceribus, vlterius progrediendum: quapropter placet vt varijs remedijs (ne vnius fastidium obrepat) diuersis temporibus, sed tamen certis, varijs corporis tui affectibus occurras. Quare proderit iuglandis magnitudine subscribendum electuarium tribus horis ante cibū deuorare ad aliquot

dies, ternis verò aut quaternis quibusque ipsius loco aut chebulum, vel radiculam Zingiberis conditam assumere. Nam horum vsus ventriculum mirificè corroborat, iuuat ad concoctiones perficiendas, capiti robur addit, vndè & cerebri operationes, sensus scilicet & motus expeditiores fiunt, & vniuerso corpori color magis viuidus conciliatur, nutritione fœliciore reddita. Electuarium hoc esto.

℞. Specierum aromatici rosacei ʒ j. Specierum diambræ. Specierum diarrhod. Abbatis ana ʒ s. Conseruæ rosarum ℥ j. Zacchari dissoluti in aqua absinthij & saluiæ q. s. fiat electuarium in formam opiatæ, vel cum Zaccharo rosaceo tabulato q. s. sine conserua rosacea fiant rotulæ pondere ʒ ij. assumendæ vt dictum est. Huius vsus in aliquot dies continuus esse debet: interea temporis si fortè ventriculus videatur excrementis onustus, nec aluus suas feces deijciat, commodè quaternis quibusque vel quinis diebus deglutienda pilula vna aut altera ante cibum hora vna, ciceris magnitudine ex sequenti pasta

℞. Specierum hieræ picræ Gal. ʒ j. s. masticis ʒ s. Agarici trochis. Rhabarb. boni, pulpæ s. Cartami ana ℈ ij. cum syr. ros. sol. fiat pasta pro pilulis. Intereà dum hæc fiunt, & posteà etiam dum facta fuerint, ad ventriculi frigidioris, & imbecillioris roborationem

rationem, concoctionémque ipsius promouendam laudarem summopere vsum huius epithematis ante cibum assumptum, applicatum vel per spongiam, elotam vino, vel per pannum, quem vocant scarlatum. Eiusqúe vsus esse potest, quoties concoctione labefactata ventriculum imbecilliorem persenseris.

℞. Absinthij vulg. Rosarum rubearum, Mentæ hortensis, siccarum ana m. j. s.
Squinanti, Spicæ nardi ana ℥ s.
Cinamomi ℥ ij.
Coriandrorum præparatorum p. j.
Galangæ, Ligni aloës ana ℥ j.
Florum labruscæ p. s.
vini optimi, & aquæ absinthij ana ℥ x.
Aceti rosacei ℥ iiij.
Cocta paulisper, seponantur pro epithemate ventriculi, cuius vsus erit, vt scriptum est. Extersa ventriculi regione, si inungeretur sequenti oleo profuerit.

℞. Olei de absinthio ℥ j.
Ol. gariophyllorum. Ol. de citoneis ana ℥ s.
Masticis ℥ ij.
Dissoluta mastiche in oleis seruetur ad ventriculũ inungendum. Quæ diximus hactenus si iuxta præscriptũ ordinem & regulã in vsu quotidianæ vitæ seruẽtur, satis & abundè fuerint, vt euacuato vniuerso corpore, & capite expurgato partes infirmiores pristinæ valetudini quasi

restituantur. Verùm quoniam caput serosis, & pituitosis excrementis refertum, peculiaria sibi quædam remedia exposcere videtur, meum consilium fuerit, vt statim post primam illam corporis purgationem, etiam dum vsus est præscripti electuarij, omni lapide moto des operam, quo serosus is humor in capite partim exiccetur, aut resoluatur, partim etiam auertatur. Cuius rei gratia videtur cucurbitularum scapulis primùm, deinde natibus admotarum vsus multùm profuturus, quas in latere sinistro quàm dextro frequentiores esse velim, quòd iam sponte sua defluuium humorum in dextrum latus inclinet. Aliquando leues eas esse, decet aliàs cũ leni scarificatione: scarificato si locus egregiè intumescat, sin minus satis fuerit eum perfricasse manu suspensa, oleo peruncta simplici vel alio qualicunque calidiore. Neque præter propositum fuerit, si Medico præsenti visum fuerit, hæmorrhoides hirudinibus affixis aperuisse. hæc vbi facta fuerint, licebit capiti per topica vocata medicamenta securè Medicinam facere, quæ partim nocentem humorem resolutione euocet per insensiles cutis meatus, partim per aptas, & ad id destinatas naturâ vias, educat. Insensibiliter, noxia materia resoluetur vario modo, leni frictione per spongiam siccam, pannum calidum, per pectinem: idque vacuo ventriculo, postquam mane & aluus, & vesica excrementa

mẽta sua secundũ cõsuetudinẽ reddiderint. Itẽ in hunc vsum profuerit continuò suturæ coronali applicasse sacculum aliquem puluere medicamentorum capitalium refertum: quæ ita misceri debent à præsente Medico, vt caput roborent, nec frigore humores densent, aut meatus occludant, nec sua caliditate eos fundant, vel plus æquo euocent. Quare confici debet ex granis peoniæ, myrti, rosis, Stœchade, maiorana, camomilla, coriandris, cort. papaueris, thure, sandaracha, vel omnibus vel quibusdam. Lenioribus his remedijs velim curationem auspicari, atque tam diu producere, donec aëris inclementia succedente Maio mitior esset facta, nec amplius frigore, & aquilonia constitutione molesta esset: tum idem frequentibus lotionibus, nimirum singulis quinis vel septenis diebus reiteratis tentare profuturum arbitrarer. Lotionem verò administrari velim lixiuio ex sarmentorum & lignorum salicis cineribus confecto, quod incoxisset betonicam, verbenam, folia senæ, rosas, paucos camomillæ flores, hordeum, & id genus alia: ablutum caput spongijs & linteis siccioribus extergi debet, non in sole, aut apud ignem exiccari. Neque remedium hoc omitti velim, quod hactenus his lotionibus vt Germanæ & Italæ mulierculæ, non assueueris: nam hac ratione, plus inde emolumenti persenties: nec audire eos debes Medi-

eos, qui vobis omnibus hoc genus remedij interdicunt, quòd Gallia sit (vt inquiunt) magis humida, magis ventosa, flatibúsque exposita quàm cæteræ regiones. Illi enim neque Italiam, neque Græciam, nec Germaniam vnquam viderunt: naturam & regionum differentias non intelligunt, multò minus quid in vnaquaque vnicuique conueniat vident. Vnaquæque regio suas habet differentias pro cœli solique ratione varias, secundum quas prudens & exercitatus in arte Medicus nunc hoc, nunc illo vtitur medicamento, & quòd hac tempestate, in hac morbi ætate, ex vsu esse cognoscit, in illa & in alio morbi tempore obfuturum facilè perspicit. Ita ego nisi fallor in hac corporis & capitis tui dispositione, in hoc aëre, in hac regione & tempestate arbitror te multùm iuuamenti percepturam ex hoc genere remedij. Ducetur autem vt eo reuertamur, per aptas vias ex capite noxius humor item vario modo, partim reuellendo eum, partim aliò deriuando. Quam ob rem mihi consultum videtur, vt subinde euoces eum, liquore in nares attracto, qui fusum illum per patentes eos meatus eliciat, siue is ex decoctis herbis, vel earum succis fiat, perinde est. Ad id faciet etiam, pulueres in nares insufflasse, vel errhina (vulgò nasalia vocant) immisisse, quæ sternutamenta moueant:

nam & iis humor euocatur è capite, & reuellitur is qui in ceruicis musculos labitur præceps, deriuatúrque qui in fauces & gingiuas noxius decumbit. Atque hanc expurgationis viam summopere laudo, cùm ea quæ per os apophlegmatismis fit, nequeat sine incommodo tentari: quandoquidem per eam partem materia deducenda non est, in quam plus æquo cum detrimento se insinuat. Frictiones item frequentes vniuersi corporis manè adhibitæ plurimum profuerint: atque idem ferè præstabunt quod cætera remedia prædicta, licet non ita validè. Frequentiores autem, vt dixi, esse debent in brachio, & crure sinistro. Et si fortè defluxus humoris auocari, aut deduci non poßit his lenioribus auxiliis, quòd is iam diu in affectas partes, & continuò soleat labi, omninò meum consilium fuerit, adoriaris eum præsentiori remedio, quod & continuum esse, & longiori tempore suas exercere vires poßit. Consentaneum enim est eius opera futurum vt & materia reuellatur à partibus affectis & à capite deriuetur, quæ alioqui leuibus istis, & per interualla adhibitis non cedebat. Velim itaque vt cauterio, aut in ceruice, aut in aliquo conuenienti alio paulò decliuiori loco infixo hoc ipsum fieret: quòd si in ceruice incommodius videtur, & ad motum & ad decorem, consilium meum est vt fiat in sinistro humero, eo in

loco quo musculus triangularis brachium attollens à figura literæ Δ deltoeides dictus, in os inseritur, qui locus in vnoqueque, magis autem in obesis, sublato brachio, concauitate leni in eo circumscribitur. Quòd si candens ferramentum expauescis, sine vllo horrore fieri potest caustico medicamento, quod à præsente Medico facilè cum iudicio administrari poterit. Quòd si in ea re tum temporis meam operam desideras, suppeditabo medicamentum ex antimonio confectum, quod promptè sine vllo dolore, mirum dictu, hoc ipsum, quod quærimus, efficiet. Vlcus iam affectum non primis diebus cicatrice obducendum sed ad multos menses permittendũ: & ne occludatur fouendum inserta pilula ex cera, vel hederæ ligno, vel argentea concaua sphærula, vel piso, vel cicere, & solum brassicæ, vel hederæ, vel per sonatiæ folium inducendum. Vix credi potest quàm hoc sit in his destillationibus eximium remedium: ratio hoc ipsum docet, & frequens experientia facilè cõprobat. Quòd ad hepar, & renes supra modum calidos attinet, sic accipito.

Postquàm elapsis his vernis mensibus purgatio ea fuerit adhibita quam præscripsi, autor tibi sum, vt balneo aquæ dulcis frequenti vtaris, manè absoluto somno, excrementis corporis, vt decet, eiectis, balnei terminus finiatur hora. Tamen pro facili aut difficili tolerantia, esto tibi breuius præscriptum tempus, aut longius

producatur. A balneo decumbendum, quiescendum: si sudor superueniat admittendus, non tamen sollicitandus. A somno tamen eo tempore, nisi noctem insomnem fortè duxeris, abstinere proficuum fuerit. Balneum sit ex Araris potius aqua quàm Rhodani, quòd hæc crudior & grauior sit, illa magis dulcis & leuis. In balnei egressu, probo assumptum ius capi vel pulli gallinacei, vel carnis hœdinæ incocto hordeo, seminibus frigidis maioribus vocatis, vel omnibus, vel quibusdam, & pauco cinamomo. Postquam in lecto ad horæ spatium vel amplius quieueris, abstergendum corpus panno, leni frictione: deinde habitus corporis vniuersus oleis amygdalarũ dulcium, & violaceo mistis inunxisse leniter profuerit. Regio tamen ventriculi melius est vt citoniorum & garyophyllorum oleis dissoluta in eis pauca mastiche illinatur: hoc iuuabit concoctionem, & faciet vt aquæ humiditas ventriculi vires non dissoluat. Quapropter etiam velim eandem vnctionem fieri cum descendendum est in labrũ. Vsus huius balnei mirum quantùm iuuare possit. Refrigerabit vniuersum habitum corporis: interna item viscera, hepar & renes potissimum, partes corporis siccitate nimia extenuatas facile humectabit, sanguinis acrimoniam obtundet, atque ita multorum vaporum ad caput eleuationem impediet, inordinatósque menses corriget: efficiet, poris vndique & vbique

laxatis, vt corpus magis transpiret: itaque fiet, vt nutritio felicius administretur, & febribus reddaris minus obnoxia. A balneo non mihi videretur præter rationem, si ad paucos dies vtaris sero lactis admixto simplici syrupo cichorij, & succo fumi terræ vtriusque vncia vna, additis seri vncijs sex. Serum segregatum esse debet oxymelite, & toties percolatum vt nihil lacteum linteo insideat cùm percolatur. Statim post assumptum serum in paucos dies, laudo vsum lactis assumi eo modo quem coràm præscripsi. Quòd si ante balnei vsum his vti velis, non refragor. Hæc omnia vel saltem pleraque velim fieri hoc proximo vere, vel ineunte æstate. Et quoniam morbosæ dispositiones iandudum radices egerunt, non poterunt tam facilè & tam promptè extirpari, quare reiterandum putarem præscriptam purgationem eandem, vel illi similem insequenti Autumno, pro iudicio præsentis eo tempore Medici. Quamobrem tum adhibendus est, qui eam præscribat, cognita tui corporis constitutione, & affectuum natura perspecta. Hæc sunt quæ consideratione digna putaui, tam in affectuum tui corporis cognitione, quàm in curatione eorum instituenda: quæ aliorum iudicio lubens submitto, omnia etiam si opus fuerit, latiùs explicaturus. Lugduni.

Cons.

Consilium duodecimum In obstructione hepatis & lienis, necnon huius duricie pro ciue Cremonensi.

Postquàm viri huius corporis præter naturam constitutio satis vel artis experto pateat, visum est mihi longiori inquisitione, & plus æquo anxia consideratione non esse opus. Superfluum quoque duco longius hic disputare, quo in genere morbi ea collocari debeat, cùm id Scholis proprium sit, non eius, qui præsentem ægritudinem curare nititur: neque terendum tempus arbitror temperamenti singularum partium indagatione, cum viscerũ affectorum, & quæ cum ipsis communionem habent, complexionem cognouisse ad hanc curam abundè sit. Laborat hic Nobilis vir lienis obstructione, & duricie, cui accedit intemperies, & præter naturam magnitudo: necnon hepatis obstructione. Patet hoc ex symptomatibus, qui, vt effectus suam causam, morbum ostendunt. Vtriusque hypochondrij grauitas id indicat, corpus cacochymum, & qualitas coloris immutata: magnitudinem & duritiem sensus tactus in hypochondrijs explorat, & ea anhelitus difficultas, quæ maximè in paulo concitatiori motu se prodit. Nam eo tempore, quia septum transuersum frequẽtius debet & vehemẽtius moueri,

non

non potest: quòd à lienis mole attollatur, & comprimatur: nec poßit propter subiectam molem subsidere. Color plumbeus & liuens sanguinem non satis depuratum à liene, per corporis habitum sparsum & distributum ostendit. Opifex enim rerum natura ad sanguinem ab excrementis purgandum, quò corpori purus distribueretur, terna procreauit viscera huic negocio potissimum destinata. Sic renes, serosum humorem: bilis vesica, ipsam bilem: lien, sanguinem feculentum ad se trahit, quòd si hic impeditus muneri suo non satisfaciat, feces cum sanguine per vniuersum corpus distribuantur, necesse est. Vnde deprauatus corporis color efficitur, quemadmodum si bilis in vesicam suam propter obstructiones non regurgitetur, mixta sanguini vniuersum corpus flauo colore tingit. Causæ quoque huius ægritudinis facilè innotescunt. Nam materiam prebent sanguis feculentus, adustus, humores crassi, & viscosi. Lien maximè, hepar, & quæ inter ea sunt, venæ meseraicæ, subiectum præbent. Principium primum huic dedit, dissoluta & inordinata victus ratio, febris ardens ante quadriennium, quæ cùm feculentos, & adustos humores plurimos suppeditaret, facile effecit, vt rarum, & imbecillius viscus oneraretur humoribus istis: quos cùm non posset superare, factum est, vt aggregatis continuò eius generis alijs, & moles eius accresceret,

&

& cum obstructione durius redderetur. Auxit eam plurimùm hepatis intemperies calida & sicca, quæ sanguinem plus æquo adußit, & craßiorem gignit: fouet continuò partium harum insignis imbecillitas, quæ tanta est, vt nisi auxiliares manus porrigantur naturæ, in scyrrhũ omnino prolabatur breui tempore oportet: atque tum grauibus variisque symptomatibus & morbis corpus exercitabit, vt aqua inter cutem, quartanis, infectionibus variis cutis, melancholicis symptomatibus, difficultate anhelitus, ventris inferioris & hypochondriorum cum flatu & torsione doloribus, & id genus multis aliis: quorum aliqua pars leuior hoc tempore corpus affligit. Quare huic dispositioni modis omnibus prouidendum est, ne in peius corpus labatur, dandâque opera sedulò, vt iam ante effecta ægritudo persanetur: quod etsi difficilius sit, & longa cura opus habeat, partim viscerum affectorum & materiæ crassæ obstruentis ratione: partim ægri, qui mirum in modum medicamenta omnia auersatur, & abhorret, tamen diligenti cura, & longo frequentique quorundam remediorum familiarium quæ præscribimus, vsu, Deo adiuuante, efficiemus, vt pristinæ sanitati restituatur. Quod vt effectum demus, duo capita huius nostri consilii præscribemus, quorum alterum victus rationem tradet, altero omne remediorum genus
com

complectemur: quod satis esse hoc morbo curando arbitramur. Quod igitur ad victus rationem attinet, quàm maximè fieri poterit, omnẽ aëris excessum euitabit: frigus inquam & solis ardores, ventos meridionales, & qui à septentrione perflant: pluuias, nebulas, & huiusmodi reliqua quæ cœli temperies ad immodicos pertrahunt status: vestitus mediocris, quo non aut frigore corpus perstringatur, aut calore vestibus aucto exagitetur: omnia sint mediocria, & nullo qualitatis excessu laborent. Exercitijs vtatur mediocribus & temperatis, videlicet vsque ad anhelitus mutationem: nam si ad sudorem vsque sollicitentur plus obstructiones augent quàm discutiant, non expurgato primum corpore. Cauebit potissimùm ab ijs quæ post assumptum cibum molesta esse solent. Horũ commodissimum tẽpus erit matutinis horis, vbi priùs corpus rectè fuerit procuratum, alui, vrinæ, screatúsque eductionib. capitis, moderatis cum pectine frictionibus, faciei, manúsque lotionibus. Ab exercitio, quiescat: nec prius ad cibum accedat, quàm anima & spiritu sedato, & calore ad pristinum gradum remisso. A cibo nullo vtatur vehementi motu, vt cursu, equitatu: quia vehementiores motus, etiam crudos humores, & cibũ in viscera rapiunt, suntq; obstructionum sæpe insignes causæ. Animi molestiam omnem, sed præcipuè iracundiam, &

mœsti

mœstitiam tanquam pestes perniciosas euitet. Inde enim, & concoctiones deteriores fiunt, & feruor sanguinis præter naturam augetur: nam & in mœstitia quoque interius calor cogitur, nisi cùm immodica fuerit, & diutißimè perseuerans: verum & tum quoque melancholicum humorem augmentat. Dabit etiam operam ne subitò à sumpto cibo dormiat, sed temporis mora interposita. Somnus sit mediocris septem aut octo horarum, nisi fortè longa consuetudo, secus faciendum esse doceret. Quod ad formam decubitus attinet, sit prior somnus in sinistrum latus decumbenti, postremus in dextrum: rationem subticeo, quia facilè ex partium situ ea intelligi potest. Quod ad cibum attinet, eum non assumet cruditate existente in ventriculo: sed expectabit semper sensum appetitus manifestum. Non assumet cibos insigniter calidos, & frigidos: abstinebit ab ijs quæ corpori crassum, viscosum, siccúmque nimis nutrimentum præbent. Cibos refrigerantes intelligo, aquam frigidam, vinum arte plus æquo refrigeratum, fructus, persica, cucurbitas, cucumeres, melones, vuam acerbã, magnámque herbarum partem, quarum vsus est in acetarijs, eosq; potißimum fructus qui facilè corrũpũtur. Verũ & ex his aliqua pars, si non omnino bona, saltẽ nõ multũ improbanda agnoscitur, quẽadmodũ paulò inferiùs dicemus. Cibos calidos intelligo

vina

vina præter modum grandia, maxima pars aromatum vt pote piper, zinziber &c. Crassi nutrimenti reputantur legumina, pisces prægrandes, qualis est thunnus, sturio, anguilla, tinca ostracæ, limaces, fungi, pisces ex aquis stagnantibus & paludosis: aues aquaticæ, caro bouina, sale condita aut fumo indurata: vina dulcia, turbida aut nigra, At ex ijs quæ alimentum viscosum præbent corpori, est caro porcina, ex pasta aut lacte confecta fercula: frixa quæ potiùs inquinata sunt quàm cocta, ex diuersis generibus cibaria confecta, quale est omne placentarum genus, quod vulgus tortas, turdellas, & raffiolos vocant: item quæ melle condiuntur aut zuccharo: caseus, panis siligineus. Sic quoq; quæ sicci nutrimenti sunt cibi vitandi, etiamsi in minori periculo assumãtur, parum enim habent in se excrementi, qualis est leporum caro, cuniculorum, ceruorum, caprarum, carnes tostæ, & similia. Magna pars horum, imò quotquot sunt huius generis alimenta difficilimè concoquuntur, & bene tandem concoctæ, generant humores omnino corpori nocentissimos, maximè in his primorum viscerum, & meseraicarum venarum obstructionibus. ab his igitur abstinebit, & varietatem ciborum vitabit, vt ne pisces carnibus misceantur, aut quæ facilè concoquantur difficilioribus concoctu postponãtur. Cibus etenim eò est melior, quò simplicior, simplicem

plicem intelligo qui varietate caret, quiq; non varietate ferculorum peccet. Cibus bis die assumendus, sed nunquam ad satietatem, mensa relinquenda cum quodam appetitu. Panis sit integer, quem Galenus noster συγκομιστὸν appellat. E ferculis comedere poterit ptisanam hordeaceam, far, oriZam sed dilutiorem, confectam cum Zucchar, & lacte amygdalarum ac modico cinamomo, iuscula alterata sint petroselino, & omphacio, vel succo arantiorum, quem potius admitto: tum etiam cuiuscunque generis sint, si caseum demas, quod vobis Italis est valde frequens: aliquando ex herbis, borragine, saluastrella, beta, fœniculo confecta, aliâs incoctis cucurbitis cum cinamomo. Excludendæ rapæ & caules. In acetarijs vtatur cappare magna ex parte ex aceto & Zucchare, admiscere his poterit erucam, cichorium, endiuiam, cardaminem, crescionẽ vocant, asparagum, borraginem, vrticam mortuam, mentam, dacui speciem, quem vocant vulgo carotam. E fructib. horarijs ante cibum interdum assumet, sed parcè, pruna bene matura, præcocia, armeniaca, persica boni odoris & matura, melopepones, magis tamen maturam, & dulcem ficum eligimus, & vuas in sole parum passas aut in vite pediculo torto triduo exiccatas. Verùm omnia parcè sumenda: sunt enim potius humectando & refrigerando cor-

pori, & aluo leniendæ quam nutritioni expetenda. Ex autumnalibus verò post cibũ comedat pirum crudum vel coctum cytonium cum zucchero. Carnes in vsu illi erunt ex agrestibus, lepores si iuniores fuerint, sed in pauca quãtitate, ex auibus perdices, phasiani, turtures, turdi, & reliqua id genus mõtana omnia: nam anteà diximus ab omnibus palustribus abstinẽdum. Ex domesticis verò animalibus, hœdi, vituli lactantes, annales castrati, pulli gallinacei & columbarum. In eligendo vino diligens opera adhibenda: nam præ cæteris corpus humanum maximè afficit & mutat vinum, & citißimè & plurimum nutrit, copioséq; ingeritur, & vsus eius est aßiduus: quæ pane excepto nulli alimento contingunt: Vinum igitur eligatur album, maturum, purum: non potens aut vehemens, ætatis ad minus trium mensium. Quod si hoc minus probetur, vtatur vino vermiculo, pauci coloris, transparente, maturo, diluto mediocriter aqua chalybeata. Aluus saltem semel singulis diebus commodè ducatur. Quòd si venter non responderit, consuelo assumat aliquando in principio mensæ, iusculum pinguius, salsius, aut cicerũ rubeorum, vel in quo solùm ebullierit cum rore suo braßica: aliquando ferculũ liquidius ex vuis paßis aut prunis cum zaccharo. Pruna ea sunt expetenda quæ ex Hispanijs deferũtur ad nos, & damascena vocãtur: aliquãdo ea hora caßiæ nõnihil ex canna

sua.

sua deuorandum: Quidã exhibent in hunc vsum ea hora pilulas ex aloë lota, quas in hoc ægroto nõ probo propter hepatis caliditatem. Magis placet, imò consulo assumat aliquando huius rei gratia scyphũ iuris ex vetere gallo, cui incoxerit cinamomum, epithymum, polypodium, senam, flores borraginis, & vuas passas. Eadem de causa approbo deglutiat aliquando ante cibum nucis ponticæ magnitudine, resinam larignam: ea est quã pharmacopolæ sub terebinthinæ venetianæ nomine vendunt: nam quæ Genuensis illis dicitur assumẽda non est, si aliter fieri potest: est enim pinastri resina minus probãda. Ea resina (quia vera therebinthiña desideratur) cũno laudari debet, nam præter quàm quòd ventrẽ modicè mouet, interna viscera pulchrè expurgat, & extergit iecur, item lienẽ, pulmones & renes, autor est Galenus 5. de sanit. tuenda, & experientia fidẽ facit. Velim eã elui aliquando aqua hordeacea vel simplici, nam minus fuerit calida. Ea sunt quæ ad victus rationem pertinere mihi videtur, quæ sunt adeò magni momenti, vt diligenter obseruata sæpe auxilio sunt, posthabitis cæteris remediorum generibus. His explicatis remedia proponemus, quæ morbo curando sufficere arbitramur. Ea quia dispositio varia est, varia quoque sint oportet: diuersa etiã eo nomine potissimùm dabimus, vt æger varietate remediorum retineatur, ne ea fastidiat, quod facilè euenire videmus, cùm

vnius generis remedium ægro semper propinatur. Sed vt rem auspicemur, consulo vt vbi Nobilis hic vir superato itinere domum peruenerit recollectis viribus, duorum aut trium dierum quiete, curam hoc modo aggrediatur. Manè absoluto somno in aurora assumat hoc infusum foliorum senæ, quod sic confectum velim.

℞. passul. enucleatarum		℥	s.
Capill. veneris recent. Cuscutæ	ana	m.	s.
Liquiritiæ rasæ		ʒ	s.
Florum cord. omnium	ana	p.	s.
Cort. rad. capparum Cetrach.	ana	℈	j.
Canellæ		℈	s.
Bull. in aquæ pluuialis		℥	viij.

ad tertiæ partis consumptionem, colentur, & in decocto infundantur per noctem foliorum senæ orientalis ℥ iiij.
Epithymi Cretens. ʒ. j. aut nostri ʒ ij.
Mane colentur, & cum pauco Zucharo fiat potio. hanc potionem velim sibi familiarem frequenti vsu redderet, assumendo eam singulis septimanis semel saltem, his primis mensibus. Quòd si non satis educeret humores peccantes, potest aliquando in hoc decocto dissolue e drachmam j. aut ij. confectionis hamech, aut mediam vnciam diacatholicon, aut drachmam semis rheubarbari puluerati, vel ʒ. vj. aut ℥ j. cassiæ, aut huius generis aliquod medicamentum:

Nam

Nam ea omnia & tutò, & facili natura & corporis tolerantia possunt quouis tempore exhiberi. Epota ea senæ infusione quiescet eo die. Sequentibus deinde aliquot ex ordine diebus consulo manè assumat ℥ ij. aut ℥ iij. cum semisse syrupi subscripti cum pauco decocto passularum, coriandrorum, vrticæ mortuæ, atque ita perseuerabit aliquot dies. Syrupus hic sit,

℞. Radic. raphani, Buglossæ. Cort. radicum fraxini, tamarisci. ana ℥ j.
Pistaciorum non rancidorum ℥ vj.
S. portulacæ, Plantaginis ana ℥ s.
Fol. senæ, Epithymi, agrimoniæ, Cimarum hederæ, ebuli. Cetrach. Cicerbitæ, ana m. s
Passularum p. j. s.
Liquiritiæ rasæ ℥ ij.
florum cord. omnium p. s.
Aquæ pluuialis, Vini albi, ana lib. iij.
Coquantur ad consumptionem tertiæ partis, colentur, & cum zaccharo, Melle ana lib. j. s. fiat syrupus in bona forma, & in fine addatur
Rheubarbari optimè puluerisati ℥ s.

Hoc syrupo etiam poterit subinde vti absque aliquo alio liquore aut decocto assumendo singulis diebus bina aut terna cochlearia: nam ita diutius moram trahet in primis venis, & visceribus, vbi ipsius mali sedes est. Hic syrupus quemadmodum compositionis ratio indicat, & simplicia ex quibus conflatur demonstrant, mira

operatur in his hepatis & splenis cum duricie obstructionibus, quod & nostris experimentis constat. Vbi biduum eo vsus fuerit, post iniectum clysma venam lienarem, hoc est sinistri brachij internam, vel basilicam aperiat extrahendo vncias plus minus sanguinis octo aut nouem. Quòd si minus placeat ex hac vena, aperiat eiusdem manus saluatellam: atq; eam detractionem velim fieri in ipso Lenæ reuolutionis puncto: quod quàm insigne iuuamentum ferat his dispositionibus incredibile dictu. Quomodo verò reuolutionis punctus comprehendi poßit, coram docui. Postquàm verò octo aut decem diebus syrupo illo fuerit vsus, reiterabit suprà scriptam senæ infusionem, aut eius loco assumet ʒ j. pilularum de Rheubarbaro. ʒ s. pilularum de fumoterra, aut ipsum Rheubarbarũ, quod quàm valeat horum viscerum obstructionibus, is facilè scire potest, qui eo aliquando fuerit vsus. Nam purgando mediocriter, corpus à multis infirmitatibus præseruat, purgat caput, & ventriculum, prodest hepati, aperit obstructa, mundificat venas meseraicas: & renes prouocando vrinam. Et hæc omnia facit sine violentia, confortans interim, & mediocriter astringens omnes eas partes ex quibus superflui aliquid eduxit. Adderem multa alia, sed hæc palmam ferunt, eò quòd naturam nihil exagitant, & tamen peccantes humores educunt. Post assum-

ptum huiusmodi pharmacum eodem modo & ordine velim reiterari & syrupum, & idem pharmacum de integro. Non enim quiescere oportet: Hic morbus difficile extirpatur, continuò sollicitandus ijs remedijs, quæ incidunt, attenuant, exterunt, aperiunt, & expurgant: hoc requirit humor feculentus, crassus, & viscosus. Sed si post secundam senæ infusionis potionem sanguinis aliqua quantitas ex dextræ manus saluatella educeretur conuenientissimum esset: exonerata enim natura alacrius quod reliquum est aggrederetur, & facilius vinceret. Interea temporis dum hæc fiunt, velim etiam morbum aggredi ijs remedijs quæ foris adhibentur, qualia sunt fomenta, linimenta, cerata, & id genus alia: In hunc vsum laudo ante cibum post deiectionem alui fomẽtum cum filtro aut spongia ex hoc decocto.

℞. Rutæ, Cetrach, Calamenti, Camomillæ, maluæ, violarum, ana m. j.
Cort. capparum, tamarisci, Rad, altheæ. S. agni casti. S. anethi ana ℥ j.
conterantur, & in aquæ chalybeatæ & aceti ana partib. æqualibus decoquantur, & ex hoc decocto fiat fomentum: deinde extersus & desiccatus locus statim inungatur subsequenti vnguento quod accipit. Mucil. fœnigraci. S. lin, radic. altheæ ana ℥ ij.

Butyri veteris, Adipis anseris, medullæ bouinæ ana ℥ s. Olei capparum ℥ vj. Olei amyg. dulcium. Olei rutacei ana ℥ iij. Fol rad. tamarisci. Cetrach, Cort. med. fraxini, Calamenti ana ℥ s. Ammoniaci dissoluti in aceto in quo ebulluerit camomill. ℥ iij. Aceti ℥ vj. Ceræ q. s. Fiat vnguentum secundũ artem. Postquam aliquandiu eo vsus fuerit, non erit inconueniens ipsi spleni cucurbitulas affigere, aliquando leues, aliquando cum scarificatione, Atque vbi eius fomenti & linimenti obrepserit fastidium, præparata iam paululum materia, & humore non recente quadam ex parte educto curet, splenis regioni hoc ceratum applicari.

℞. ammoniaci ℥ s. Bdellij albi ℥ ij. s. dissoluantur in aceto scyllitico, & adde flo. violarum ℈ s. S. agni casti ℈ ij. Olei capparum ℥ v. Tamarisci. S. portulacæ ana ℈ j. Ceræ albæ q. s. cum pauca terebinthina, fiat cerotum lieni applicandum. Quòd si expurgato corpore satietas cœperit suprascripti syrupi. laudo hoc vtatur electuario.

℞. Florum borraginis ℥ s. Florum violarum. Liquiritiæ mundæ. S. anisorum. S. fœniculi. ana ℥ ij. Senæ ℥ j. Puluerisentur omnia, & cribellentur, & adde Specierum diarhod. abbatis ℥ j s. Rad. azari ℈ ij. Specierum aromat. ros. ℥ j. s. Scoriæ ferri stomomatis præparatæ ℥ vj. Limaturæ chalybis præparatæ

rata ℥ ij. Mellis puri q. s. fiat electuarium, de quo sumat manè cochlear j. cum bono vino. Quæ hactenus dicta sunt intelligi velim consulta absente febre: quæ si aliqua diligentia exequantur, omnino hunc Nobilem virum ab hoc morbo liberabunt, & pristinæ sanitati restituet. Hæc omnia aget hoc Autumno, prius quàm hyberna frigora corpus exercere incipiant: quod nisi fecerit mirum in modum morbus hoc autumno accrescet, cùm aëris, & victus, tùm ęgritudinis ratione, quæ eo increuit, vt nunquam solius naturæ beneficio salus sperari debeat. Dabit igitur quoad eius fieri potest diligentem operam hoc antumno quo corpori debitis purgationibus prospiciatur, deinde toto illo tempore hyemali interpositis diebus vtetur suo syrupo, aut aliquibus paratis facilibus, quorum partem aliquam subscribã, quæ ego potissimùm experiẽtia cognoui plurimum in hac ægritudine valere. Ex horum numero est vrtica quædam mortua, quæ in folio maculam albam habet, Plinius vocat Lamium, Bononienses Milzadellam, Pisani berbam della milza: ea quomodocunque assumpta induratos & obstructos lienes liberat. Ego soleo manè exhibere incoctam ouo in formam placentulæ. Est filicis decoctum efficacissimum in hoc casu, id quod antiquis cognitum: nam Galenus noster lib. 8. de comp. med. secundum loca feliciter exhibet in hepatis obstructione. Ad

visceris (inquit hepar intelligens) expurgationem, apertionémque meatuum, citra manifestam calfactionem, aut refrigerationem filix optimum pharmacum est, amaram qualitatem habens prædominantem. Hoc modo iuuant cortices radicum fraxini masculi (hic fructus non fert) vino aut aqua incocti, decocto epoto. Cetrach, quæ scolopędrium est Dioscoridi, lota cum aqua rosacea, exiccata, & in puluerem contusa, mixtáque pari zucchari pondere, & manè cochleari parui mensura cum vino assumpta. Idem præstat eodem modo propinata chamædrys. Item semen portulacæ ℥ ij. pondere cum aceto. Semen cuscutæ, Atriplicis, S. acetosæ. Sunt quædam quæ à quadam proprietate iuuant qu modocunque assumpta, vt coralium valde tritum: lien ericij commestus: item vulpis hepar, quemadmodum lupi hepaticis conuenit. Rusticu & agrestibus hominibus sæpe epotandum dedi proprium lotium magno successu: illud enim extergit & incîdit. Sic eandem calidam cum canapina stuppa applicare iuuat. Emplastrum ex radice cyclaminis, & oleo capparum confectum splenem mirum in modum attenuat & discutit: sed est paulò vehementius, quare farinæ aliquæ & pinguedines sunt miscendæ. Mitior est fomentatio florum tamarisci coctorum in aceto cum spongia

gia aut filtro. Raphanus contusus cum aceto & applicatus, quemadmodum eius decoctum in vino epotum spleneticos sanat. Hæc ferè omnia experientia primùm ab alijs admonitus didici talia esse. Sunt nobis innumera alia per manus relicta quæ hîc recensere superfluum est, cum pars minima horum apta sit, & sufficiens sanitatem huic viro restituere. His igitur aut parte horum vtetur, deinde imminente vere docti, & experti medici consilio purgabitur: aut nostra purgatione, quam primùm præscripsimus vtetur, atque ita purgato corpore ad balnea Lucensia veniet, vndè non parum vtilitatis eo tempore reportabit: nam hæ termæ vbi digeruntur, ea viscera mirum in modum confortant ferri ratione, & abluendo expurgant, intemperiémque contractam (qualem hic habet calidam hepatis) remittunt. Hîc finem facio, si illud vnum addidero. Noui ego plurimos Cremonenses obstructione, & duricie lienis exerceri, neque scio an hoc victus communi qua vtuntur, aut aquarum ratione eueniat. Intelliget idipsum honestus hic vir ab eius vrbis Medicis atque causa intellecta, eam euitabit. Nam ea ablata, & his remedijs vsus Deo dante facilè conualescet. Ex balneis Lucensibus.

Consi

Consilium tertiumdecimum in obstructione, & duricie splenis, in quo de viribus aquæ balnei Villensis in Hetruria ad Medicos Cremonenses.

VEnit ad hæc nostra balnea vestro consilio D. Ioannes N. Cremonensis sanitatis restituendæ gratia: eum postquàm vidimus, & ex vestris literis ipsius ægritudinem cognouimus, indicauimus ex his nostris balneis nihil accessurum ei iuuamenti: quod licet ei prædixissemus, voluimus tamen (moti vestro consilio & authoritate) vt is nostris aquis vteretur, arbitrantes vos diligentius longa consuetudine exactiusque & naturæ ipsius habitum, & morbi dispositionem cognouisse. Verùm cum cœpisset ijs vti, excitata sunt varia symptomata, subuersiones ventriculi, fluctuationes in hypochondrijs, laßitudines laboriosæ, difficultates vrinæ, & id genus alia, nullis per secessum vel vrinam (vt res postulabat) aquis redditis: quod magis meum consilium, & opinionem comprobauit. Qua ratione, autem Thermæ hæ non sint aptæ ipsi, neque poßint sanitatem pristinam ei conciliare, causam hanc quam dicturus sum, esse iudico. Nouistis quantùm differant obstructio simplex alicuius visceris, & ipsius duricies: nam hæc dispositio

præter

prater resoluentia, requirit quæ emolliunt, illa solùm extergentia. At hic vester ægrotus non solum obstructione hepatis, & maximè splenis exercetur: sed etiam insigni duricie splenis afficitur, cui nisi prospectum fuerit, omnino in schirrum abeat illa necesse est. Aqua hæc Villensis non emollit, parum admodum resoluit, vix quicquam exterit: solùm apta est aliquam intemperiem simplicem maximè calidam alterare, aut cum intemperie humores quoscunque excludere, quósque in meatibus, & vijs, quas transit, reperit, eluere, eásque propter ferri facultates roborare, & confirmare. Nihil attrahit more purgantium medicamentorum (licet hoc quidam existiment) non multùm abstergit, quia parum admodum habet rerum extergentium: & obtunduntur, si quas habet, multitudine, & quantitate aquæ. Verùm ea viscerum dispositio in D. Ioanne requirit ea quæ maximè emolliunt, quæ egregiè incidunt, attenuant, & abstergunt quæque etiam digerunt, aut resoluunt. Sed nihil eiusmodi potuit expectari ex his Villensibus aquis: quare mirum non est has aquas non fuisse ei proficuas, neque eas potuisse aliquo modo aut via digerere, vel superatas excernere. Quod si aliquando ex his aquis velit aliquam sperare salutem, necesse omnino est durities illa maiori ex parte sit emollita priùs & resoluta, dein-

de si quid restaret obstructionis, fortè posset ab hac nostra aqua elui, & eodem modo elota materia viscus ipsum, ratione ferri, roborari. Quod si res mea ageretur, aut ars hoc in casu requireretur, consulerem nullis thermis huius generis vteretur, sed solùm adhiberi velim ea, quæ in potu & cibo aut medicamentis possent illam dispositionem exterminare, incidendo, attenuando, emolliendo, extergendo, tam exterius quàm etiam interius applicita, vel exhibita, assumptáue. Velim omnia ea vt plurimum splenetica (vt diximus) esse: talia sunt fraxini, tamarisci, & capparum radicum cortices, scolopendria, capill. ven. Centaurea minor, iris, acorus, chamæpitys, chamædrys, prasium, scylla, & ex ea composita medicicamenta: nasturtium, nigella vulgo dicta, agaricus, epithymum, filix, lupinus, raphanus, semen portulacæ, atriplicis, acetosæ, cuscuta dicta, scrophularia, agrimonia, azarum, hedera quam vocant terrestrem, & ea maximè vrtica quæ in folijs maculã habet albicantem, quam Plinius, vt credimus, lamium vocat, Bononienses milzadellam, Pisani herbam della milza propter affectus nuncupant. Cuius virtus mihi in his effectibus probata aliâs, primùm doctus à Monacho Hetrusco, qui solum singulis diebus huius herbæ aliquot folia contrita, & ouo incocta exhibebat edenda, & permultos curabat.
Ego

Ego posteà solos ipsius pulueres feliciter in vino albo in eodem affectu exhibui. His adderem vuas passas, liquiritiam, althæam, & quædam alia, quæ emolliunt mediocriter, & visceribus sunt amica, quæque robur iisdē addere possunt. Hæc oxymeliti aliquando, aliquādo aceto, aliquā do aliis liquoribus incoquerem, quos putarem ad rem esse facturos: exterius applicarem fomenta ex iisdem, & similibus. Auicennæ experimento constat optimum esse fomentum ex ruta, cortic. rad. capparis, absinthio, calamētho, origano, incoctis aceto. Item mihi placet Ammoniacum dissolutum aceto, addito amygd. amararum oleo, rutæque succo. Expertus sum efficacißimū esse, quod scribo.

℞. Succi cyclaminis, succi cardamines (vocant creßionem) ana ℥ ij.
Olei communis antiqui, butyri veteris, olei de spica, olei camomillini, ammoniaci dissoluti aceto. ana ℥ j. ſ. Misce pro vnguento. Posteà curcurbitas, aliquando leues, aliquando cum scarificatione affigerem. Vterer oleis, cerotis, vnguentis, linimentis suprascriptis, atque vt redderem ea omnia magis efficacia miscerem iis gummi alia, & pinguedines plures. Aliquando interpositis diebus tunderem venas, nunc sinistræ manus saluatellam, alias eiusdem brachii basilicam atque hoc maximè in ipso Lunæ reuolutionis

momen-

momento, quod experientia ostendit mirum in modum his dispositionibus esse proficuum.

Purgarem aliquoties corpus, ex infusione senæ foliorum, epithymi, polypodij, ex solutionis hamech. pilulis de fumoterra, diasena, diacatholicon. Vterer multùm simplicibus casſia, rheubarbaro &c. Quòd ad rationem attinet viuendi, aquam velim simplicem nunquam in vsum adhiberet, alteratam bibat aut coriandris, aut anisi aut arantiorum seminibus: addito pauco Zuccharo: oxymelite simplici plurimùm iuuaretur ex tribus libris aquæ, tribus vncijs aceti & quatuor mellis confecto. &c. Iuberem abstineret edulijs crassi, & viscosi nutrimenti, interdiceret lacticinijs, caseo, ex pasta confectis ferculis, quæ nihil fermenti habent: braßica: leguminibus, piscibus, carnibus maiorum animalium & sale conditis aut fumo induratis, vino crasso & nigro, pane siligineo. Vteretur velim pane integro, Galenus συγκομιστὸν vocat, vino albo, puro, bono, carnibus quæ attenuantis sunt aut boni nutrimenti. Essent multa alia dicenda, quæ omnia conferrent ad sanitatem huic viro restituendam: sed hæc sufficiant, satis est meam mentem indicasse solùm doctis & vobis in arte exercitatis viris, neque opus erat tot verbis, & tam longa oratione negocium prosequi, nisi coactus hæc effudissem

vrgentibus supradicti D. Ioannis amicis. Raptim ex balneis Lucensib.

Consilium decimum quartum datum honestę mulieri Lugudunẽsi patienti frequentes aborsus, & profluuium sanguinis è matrice.

MVlier hæc, ætatis consistentis, ante multos annos abortum passa est, idque tam frequenter, vt ex decem & sex in vtero conceptionibus, sex solũmodo ad frugem perduxerit. Post abortum postremum iam ferè à tribus mensibus cœperunt menses abundè & copiosè fluere, vt plurimum paulatim, aliquando successiuis temporibus affatim, magnámque sanguinis quantitatem effundere, vnde ea symptomata pleráque subsequi visa sunt, quæ à Gal. lib. 6. cap. 5. de locis affectis sunt commemorata. Etenim color ei luridus fieri cœpit, facies subtumida, oculi superfluo humore ferè semper madescentes, pedes sub noctem intumuêre, corpúsq; vniuersum & minus viuidum, & humore extraneo inflari cœpit, adeò vt omnino periculum sit, ne illa in hydropem incidat nisi occurratur. Quod vt fieri poßit, videndum quæ sit huius affectus causa, qua sublata morbus facilè curari poterit. In eo igitur affectu debet omnino causa esse, vel in ipso sanguine, humore scilicet qui excernitur,

vel in ipso membro (vtero nimirum) per quod excernitur, vel in aliquo alio, quod eam materiam incitat ad motum, & quasi expellit. Verùm si diligenter considero, nihil in corpore inuenio quod in hoc tertio ordine collocari debeat. Quare partim in ipso membro, vtero scilicet, partim in ipso sanguine causam huius defluxus agnosco. In vtero imbecillitatem arbitror causam esse, vnde venarum osculorum apertio absq; vllo dolore tantam sanguinis copiam breui tempore effundit, nullam vasorum erosionem, aut aliam præsupponens causam. Quandoquidem ab erosione, & minor longè quantitas emanat, & sanguis multò impurior, neque sine aliquali dolore. A ruptura fieri nequit, quoniam non præcessit aliqua manifesta causa, quæ eam facere potuerit: deinde affatim quidem emanaret, sed semel firmatus nullo modo cursum suum prosequeretur, nisi eadem causa rursus incideret, & eundem effectum produceret. Vterus autem imbecillior est redditus propter frequentes abortus: & propter vehementa medicamenta olim ad secundas (quas vocant) mouendum intempestiuè (vt intelleximus) exhibita. Frequentes item abortus, licet multùm debilitarint vterũ, signa etiã sunt, facultatis imbecillioris in vtero iam à primis annis, & cũ nullæ aliæ manifestæ causæ tales abortus præcesserint, verisimile mihi est propter mucorem in vteri acetabulis contentum accidisse,

qui

qui etiam causa est, quo lentore suo imbuta vasorũ orificia faciliùs pateant, & aggrauanti sanguini viam, transitúmque præbeant. Attestatur huic Galenus, qui loco paulo antè citato expressè scribit, si mulier promptè quidem conceperit, deinde secundo, vel tertio vel quarto conceptionis mense (quod huic semper accidere intelligimus) fœtum abiecerit, circa vteri acetabula pituitosum humorem abundare: atque idcirco venarum, arteriarúmque eius loci ad ora vasorum in vterum descendentium nexum, debiliorem reddi coniiciendum est, vt fœtum ob grauitatem ferre nequeat, sed facile abrumpatur. In sanguinis massa alteram causam esse reor: quandoquidem propter hepatis imbecillitatem (vt inte im alias omnes quæ huc spectant causas omittam) is aquosior est, & magis quàm deceat crudus, vndè & ad motum aptior est, & magis expeditus: quare etiam natura vi sua quærit, vt eo se, quoad eius fieri potest, liberet, atque ad imbecilliores corporis partes præcipitet, aut per loca apta è corpore exterminet, & excludat. Verùm quia in hac muliere vterus ex omni parte, vt anteà diximus, maximè imbecillus est, maximéque aptus vt huiusmodi humorem transmittat, natura facilè eò se exonerat. Quòd autem sanguis eius naturæ sit,

cuius diximus esse, & effusus sanguis apertè demonstrat, & vrina quæ venosi generis humores, quales sint docet, manifeste ostendit. In hoc sanguinis per vterum fluxu, & timenda forent ea omnia symptomata, quæ Galenus paulo antè citato loco enumerat, ijsque grauiora, & maximè ipsa aqua intercutem, ad quam procliuis huius mulieris constitutio esse videtur, præcipuè cùm venter iam plus solitò cœperit tumere, & aquosa quadam materia flatibus quibusdam admixtis turgescere videatur. Cæterùm ne longiùs hoc malum serpat, sed vt venienti occurratur, & si quid eius genitum est tollatur, prospiciendum planè est, illius profluuij causæ tollantur: vt scilicet quòd in sanguine crudum & aquosum est, partim concoquatur, partim expurgetur, vt naturalia viscera roborentur, quo meliùs concoquant, & sanguinem probiorem generent. atque vt vterus imbecillior confortetur, frigidior modicè calefiat, humidior exiccetur, quo vasa aperta vel conniuentia, expurgato, abstersóque mucco occludantur. Nam ita & fluxui prouisum fuerit, & abortus causæ tollentur, & futurum imminénsque periculum euitabitur. Quæ omnia à me dicta tam victus bona ratione, quàm medicamentorum vario & multiplici vsu consequetur. Quod ad victus rationem attinet, non libet
hîc

hic omnia & singula capita prosequi: solùm quæ in cibo & potu sunt, breuibus explicabo. Potu vtatur modico, vino vermiculo, maturo, subastringente, quale vulgus stomachicum, Gal. lib. 6. methodi, nobile (nisi fallor) vocat. Illud vinum dilutum velim chalybeata aqua. Cibus assus potius quàm elixus. vtatur carnibus siccioribus, modici alimenti, auiculis vt plurimum, turturibus maximè. Has enim in omnibus defluxibus mirum profuisse obseruatum est, item omnibus alijs quæ plurimo vtuntur volatu, columbis, pullis gallinaceis, carne leporina iuniore, perdicibus, veruecina, vitulina, sed pauca. Abstineat ab omnibus lactarijs, piscibus omnibus, fructibus ferè omnibus, exceptis pyris aliquot coctis, vel etiam à cibo crudis. Vtatur cotoneis multùm. Abstineat ab omni carne maiorum animalium, maximè suilla: neque volo sit vllum edulium ipsius ex lardo præparatum, sed loco lardi assis infigat aut cimas rorismarini, vel garyophyllos. Vtatur ouis recentibus: sæpe passulis Corinthiacis. Pane puro, potius biscocto, vel saltem vt plurimùm aliquantisper exiccato. Abstineat ferè ab omnibus ferculis liquidioribus, à cibo continuò vtatur hoc puluere, qui concoctionem viscerum mirùm iuuat.

℞. Coriandrorum præparatorum conditorũ Zacchara ℥ ij. masticis. ʒ ij. s.

S. anisorum. ℥ iij.
Cinamomi ℥ j.
Puluerum diacydoneon sine speciebus ℈ iiij.
Corticis citri ℥ j. s.
Zacchari rosacei ad duplum, pulueri setur, vtatur mistis cochleari mensura. Cibos particulatim omnes hic recensere non arbitror opus esse: quare cæteris omissis capitibus ad medicamenta venio: solum illud primũ moneo, vt exercitio ante cibum vtatur mediocri, quòd ad calorem naturalem excitandum satis esse videatur. Ab omni animi motu abstineat, maximè ab ira, mœrore, & alio quouis concitatiori motu. Quod ad remedia attinet, cùm duo sint in frequenti Medicorum vsu remediorum genera, vt magis excellentia, magisque necessaria, sanguinis missio, & purgatio: De vtroque paucis dicam. Sanguinis missionem in hoc casu approbare non admodum possum, quod iam abunde & plus satis sanguinis fluxerit: & quòd hepar, & habitus corporis ob id sit plus quàm decet frigidior factus: quare hoc remedij genus reformido, nisi fortè sanguinis per vterum fluxus vehementior ad reuulsionem moliendam nos inuitos eò impulerit. Verum & eo tempore magis cum Hippocrate 5. aph. 50. Laudo magnas cucurbitas sub mammis leues affigi. Quòd si tamen sanguinis det actionem Medici ex vsu putauerint, administretur, non

vna

vna & sola vice, qua affatim sanguinem educimus: sed fiat reiteratis vicibus, exiguam eius quantitatem demendo, idque potissimum cum ipsa ex lassitudine quadam (vt solet antè profluuii) persenserit naturam sanguinis expurgationem moliri. Nam ita malum anteuertet, corpus onere quodam leuabit, & incipientem fluxum reuellet. Aperiatur autem vena interna brachii. Nullo alio modo venæ sectionem admittendam putarim. Purgationem approbo successiuis temporibus, & per vices, maximè ex Rhab. myrobolanis, seminib. Cartami, & syrupo rosaceo sol. Nam præterquàm quòd huiusmodi educant humores, qui illius sanguinem vitiant: etiam partes, & viscera roborant, & sua astrictione ligant: quod in hoc casu maximè animaduertendum venit. Quare etiam his admisceri debent, quæ partes naturales roborant, quæ solutiuorum facultatem efficaciorem reddere, & expeditam magis possunt, qualia sunt garyophyllus, macis, cinamomum, mastix, & id genus alia. Sed priùs quàm eò deueniamus velim eam primò hoc apozemate vti.

℞. Rad. Liquiritiæ ℥ s.
Rad. plantaginis, ℥ j. s.
Rad. tormẽtillæ ℥ x.
Agrimoniæ, Capillorum veneris recentium, vel Polytrychi, Phyllitidis hoc est Linguæ ceruinæ, Melissæ ana m. j.

passul. non mundatarum à gigartis. p. j.
Coriandrorum præparatorum ℥ j.
Cornu cerui vsti ℥ s.
Coquantur omnia in aqua chalybeata q. s.
ad tertias coletur, clarificetur, & cum Macis ʒ j. aromatiZetur, adiectóque zaccharo rosaceo tabulalo fiat apozema, de quo capiat manè lib. ß. & alternis diebus ℥ v.
Syr. de cichorea cum Rhab. ʒ x.
Misce, fiat potio. Vtatur multis ex ordine diebus. Intereà temporis singulis septem diebus accipiat medicamentum ex solutiuis supradictis. Totus venter inungatur hoc linimento.

℞. Olei cytoniorum, Ol. de absinthio.
Ol. rosacei ana ℥ s.
Ol. de spica odoriferi Masticis dissol. ana ʒ ij.
Specierum diacimini ʒ j.
Trochiscorum de charabe ʒ s.
cum cera. Fiat linimentum. His leuioribus medicamentis velim per primos hos dies vteretur, quibus cùm aliquandiu vsa fuerit, cōsultum mihi videtur vt hoc emplastrum lumbis imponat.

℞. masticis ℥ s.
Ladani ʒ iij.
Rad. bistortæ ʒ ij.
Nucis cypressi, hypocystidos, Sanguinis draconis. Rosarum rub. Corall. rub. Mentæ siccæ S. Coriand. preparatorum, Galliæ moschatæ. Terre sigillatæ

sigillatæ ana ℥ j.
Ceræ citrinæ, Ol. rosacei compl. Terebinthinæ lotæ in aqua matricariæ, Colophoniæ ana q. s. ad informandum cerotum. Atque eo tempore deuoret aliquando dactylum vnum, qui hoc modo præparatus fuerit.

℞. Masticis, Thuris albi ana ℥ s.
Sang. draconis in lachrymis. Myrtillorum Boli armeni orientalis ana ℈ s.
puluerentur omnia, & misceantur. Ex hac mistura.

℞. ʒ j. infarciatur dactylus, eiecto nucleo ligneo, inuoluatur charta, madefiat deinde vino clareto, & calefiat sub cineribus, deinde edatur. Quod remedium etiam in fœtu retinendo efficax esse experientia didici, primùm Bononiæ à præceptoribus meis edoctus.

Quòd si his remedijs fluxus non restiterit, fiat iniectio in vterum per metrenchytam ex hoc sequenti liquore.

℞. Succi stercoris asini ℥ iiij.
Succi plantaginis lib. s. Ol. cytoniorum, Cheirini, quæ incoxerint parum macis, squinanthi, corti. granatorum ana ℥ j. s.
Misce vtatur pro iniectione. Post assumptum apozema, per multos dies poterit roborari hepar, vterus, ventriculus, & cætera viscera ex diarhodon, aromatico rosato. Conserua rosac. Trochiscis de rosis, diamargariton. His adductis

remedijs placet hoc alterum adijcere, quod ex-
perientia verum esse docuit, cuiusque vsus fa-
cilis est & securus. Suspendatur ei Iaspis ali-
quis ex maioribus non adulteratus. Nam tra-
ditur suspensum hunc ad omnem sanguinis fluo
rem, ad protegendum conceptum, & partum
iuuandum, & hydropem pellendam plurimum
iuuare. Hæc sunt leuia illa remedia quibus
curatum iri arbitror honestam hanc mulie-
rem, maximè si illa vtatur diligenti victus
ratione, multa abstinentia: & modico exercitio
inferiorum partium maximè, & potissimum fri-
ctionibus extremorum, sed brachiorum maxi-
mè: hæc remedia in nulla re obesse possunt: quòd
si dispositio his non facilè cedit, ad grauiora
cum ratione est veniendum, de quibus suo tem-
pore, si opus fuerit, loquemur. Luguduni.

Consilium quintumdecimum In calculo renum ad Abbatem D. Ioannis Laudunæi.

QVicunque ille fuit qui in morbo tuo pre
te remedium petiji, Reuerende D. Ab
bas, nobis suo scripto non satisfecit. Quandoqui
dem solummodo morbum proposuit, nullo eius
discrimine habito: cùm tamen is curari ex arte
haud queat, nisi intelligatur omnis ipsius natura
& conditio: quis ille sit: ex qua materia: quam
diu & quomodo afflixerit: quibus hactenus ex-
tirpari

tirpari remediis non potuerit, & id genus alias praeterea corporũ cõstitutionẽ, & in eo principũ partium tẽperamenta cognoscere decet: quã sint oẽs facultates in eo & operationes vegetae: & quod summè necessariũ est, partis quae affligitur, quaeq; tanquã morbi subiectum est, naturã perspectam habere oportet, qui salubriter consulere velit. Verùm ex tuis literis nihil tale, solũ te iã biennium ferè, calculo grauissimè discruciari, et hactenus omnia eo curãdo frustra tentata esse. Ego verò ne meo muneri defuisse videar, & qualẽcunq; meã operã (quae nulli vnquã defuit) tibi denegasse, praescribã quaedã auxilia, quae aliâs saepe nõ sine magno commodo & vtilitate hoc morbo laborãtibus adhibui, ex quorũ vsu spero etiã te (post multa aliorũ frustra tẽtata remedia) si nõ planè curari, saltẽ egregiè leuari posse: qđ vt appositè fiat quaedam altius de morbi huius natura repetam, quae tu posteà poteris rebus tuis accõmodare. Quicquid in rebus externis cõcrescit et lapideũ fit, cõcrescit aut calore aut frigore, aut siccitate: experiẽtia hoc testatur, docet etiã Aristot. 4. Meteor. 6. & Plato in Timaeo. Verùm siccitate id non fit, nisi alterutra qualitas ei coniuncta sit. Lapides igitur potissimum effectricem causam habent calorem & frigus: verùm hoc fere ex aquea materia eos efficit, idq; solùm cum extremũ fuerit: quẽadmodũ in crystallo, iride, & id genus lapidibus

vide

videmus: at tale in viuo animali esse nequit, quòd animalis vita sine calore consistere haud queat: relinquitur igitur altera solum causa, caliditas scilicet, quæ in corporibus nostris, vbi aptam materiam inuenerit, lapides generare potest. Apta materia non aquea esse debet, nam aqua calore non concrescit: sed terrea, hoc est, crassa, quæ si glutinosa non fuerit, aut tenax, lapideum sanè quid generat, sed quod facilè disruptum dissoluatur: talis in nostris corporibus calculus ille est, qui continuò excernitur, & lateribus matulæ aut adhærescit, aut fundo arenosus innatat. Si verò terrea ista materia, id est crassus ille humor, viscidus fuerit & tenax, lapidem, vbi firmata fuerit, producit, qui difficilè dissoluitur, qualis ille vt plurimùm esse consueuit, qui longo tempore detentus in renibus hominem torquet, aut in vesica concretus grauiter affligit. Qualis autem hæc materia in nostris corporibus esse queat dicendum. Profectò rarò vnus solus & impermixtus humor in renibus calculum gignit: nam à natura per se non excernitur, & separatur à massa sanguinea alius per renes quàm serosus. Tamen in corporibus gulæ deditis, quæ propter incautam victus rationē solent plurimum crudorum humorum, & pituitæ tenacioris coaceruare, fit vt aliquando demādata ea ad renes (natura superfluum deponere volente) calculum ingeneret: quemadmodum

etiam

etiam in pueris fieri videmus, lapide in vesica laborantibus. Verùm præter hunc humorem nullus alius syncerus videtur mihi calculi in renibus causa esse. Cæterùm in omnibus ferè, saltem in plerisq; massa ipsa sanguinea calculorum generationi materia est, sed vario & diuerso modo permixta. Etenim aliquando illa commodiùs temperata, illapsa cum seroso humore renibus, calculum generat: quia glutinosa non est, dissolubilem, nec admodum compactum: talis ille est quem rufum continuò arenæ in modum cum lotio excerni diximus. Quòd si massa sanguinea pituitosa fuerit, solet producere magis compactum, maiorem, nec ita dissolubilem calculum, albescentem aut subfuscum, vt pituitæ sobolem agnoscere poßis: si ea biliosa fuerit, maximè ex bile torrida & craßiore, etiam calculũ generat, sed rarius: is etiam difficilè soluitur, quia ex crassa materia, colore pallido, aut subflauescente, aliquando pullo, & inter vtrumque dictum medium locũ tenet: Nam vt ille qui ex simplici massa sanguinea est, eò faciliùs soluitur: sic is qui ex sanguine pituitoso, illo difficilius. Et quã tum duricie, & soliditate superior est eo, qui à massa sanguinea originem traxit, tantum superatur ab illo qui à sanguine pituitoso genitus est: sic quantum ab hoc relinquitur, tantum illũ superat. Dißident etiam inter se, quòd calculus qui ex pituitoso sanguine est, ferè maior est, &

super

ſuperficie æqualiori: qui verò à maſſa ſangui-
nea bilioſa, minor vt plurimum, & magis in-
æqualis, & aſperior. Si vero maſſa ſanguinea me
lancholica fuerit, ſtatuitur etiam à Medicis
calculi materia: quod tamen rarius (ſi vnquã
accidit) fieri conſentaneum eſt: quandoquidem
is humor difficilius ſe in renes inſinuare poteſt,
multò minùs ſe oſo humori, qui eum deducat,
aptè permiſceri, & ferè natura eum per alia
conuenientiora loca præcipitat, aut excernit.
Hæc mihi eo modo ſe habere de calculi materia
ſemper viſa ſunt, licet nonnulli paulò aliter
hanc rẽ intelligere videntur. Efficiens verò cal
culi cauſa profectò nulla alia eſſe poteſt, vt dixi-
mus, quàm calor aut vniuerſi corporis, aut hepa-
tis, & renum, aut renum tantùm. Qui eo modo
non ſolùm humorem contentum aſſant quodam
modo, & reſoluta tenuiore parte cogũt, denſant,
& tanquam in fornace percoquunt: verumetiã
propter calorem ad ſe humorem alliciunt. In ſub
iecto in quo morbus eſt, renibus nimirum, ſola
imbecillitas reprehẽdi ſolet, quæ aut calorẽ intẽ-
peratum cauſam habet: vel quia vlcere, aut id ge
nus alia diſpoſitione conflictati ſint: aut quod pa
tentiori meatu ſint conformati: aut quod is plus
pateat eo in loco, vbi emulgẽtes vulgo dictæ ve-
næ ſeſe inſinuant renibus, quàm vbi ὐρητῆρες,
hoc eſt, vaſa vrinam deferentia erumpunt, ad ve
ſicam hinc inde deſcendentes: nam ita fit, vt fa-

cile

cile cum seroso humore crassa materia tracta illabatur, difficile expellatur: quod aliquando in sectionibus corporum obseruatum est. Harum causarum solū memini, quòd sine earū cognitione in hoc affectu curatio ex arte institui nequeat, quare etiam de ijs paulò latius fortè quàm poscebas disserui. Verum iam ad curationem veniamus, quæ sanè ex arte pro diuersitate prædictarum causarum variari debet. Nam si calculus è corpore humoribus repleto, aut, vt vulgò dicunt, sanguineo auferri debet, profectò à sanguinis vacuatione curatio auspicanda venit: quandoquidem cætera omnia remedia non poterunt ex vsu esse, nisi euacuatione primùm, quod superfluum est in corpore, auferatur. Etenim quæ calculum è renibus exterminant solent vt plurimùm calida esse, diuretica, hoc est, vrinam mouentia, quæ quia sanguinem solent quasi liquare & fundere atque humores ad renes præcipitare, consueuerunt eos plurimùm onerare: non consultum omnino est, vt ea nisi priùs euacuato & expurgato, hoc est à superfluis & excrementis mundato corpore, exhibeantur. In cæteris dispositionibus non eadem difficultas neq; necessitas: nam satis abundéq; est massam sanguineam purgare secretis illis humoribus, qui eam corrumpere videbantur. Sic si pituitosus sanguis calculi in corpore materia est, is partim concoquendus, partim expurgandus

purgandus venit. Ita si biliosus, superflua bilis omnino auferenda. Et ita in reliquis. Quanpropter hoc scire decet, quæ calculosos iuuant, non esse vnius generis. Nam quæ diximus eos iuuant, quia materiam calculi demũt: ita alia prosunt quòd incidant, quòd attennãt, quòd laxãt, quòd lubricos meatus (per quos deduci debet) reddãt: alia quòd atterant quasi: alia iuuãt quòd tali aut tali facultate, sint prædita, quemadmodum in multis alijs, & passere troglodite Regulo, vulgò dicta auicula videmus.

Quare si tibi ætas constans est, & vires firmæ, habitúsque corporis non planè longitudine morbi, & dolorum acerbitate attritus & dissolutus, omnino tibi autor sum, vt cures internam brachij venam aperiri, eius nimirum quod è directo respondet magis affecto reni. Eam verò quantitatem demi velim, quæ præsenti medico consideratis cum iudicio rebus omnibus necessaria visa fuerit. Paucis deinde intermissis diebus aperies venam in poplite (si fortè habes hominem exercitatum, qui eam noscat, & tundere valeat) aut circa talum alterutrum, si alter ex renibus plus altero laboret: aut venis circa talũ in vtroq; pede apertis, si ex equo renes sunt affecti, sanguinem demes: quarum prior auertit humorem à parte dolente & euacuat, posterior magis à loco affecto educit. Ex posteriore euacuatione hac, mirum quàm soleant hoc morbo laborantes leuari,

quod

quod ego frequenti experiētia cognoui, primúmq; ex Hippocrate didici 6. epid. part. j. aph. 6. & post eum Aëtio lib. II. cap. 5. hoc ipsum docentibus. Post hanc sanguinis euacuationem (nisi vehementes dolores præsentes alia remedia interponere nos cogant) velim corpus euacuari non vna vice, sed reiteratis, ídque interpositis diebus, aliquando duobus, aut tribus, aut pluribus, prout visum fuerit præsenti, & curationem administranti medico, qui hoc ex virium corporis tui cognitione, & nocentiū in corpore humorum multitudine facilè dignoscet. Præscribo hic in eum vsum puluerem solutiuum, qui sine detrimento optimè educit eos humores, qui solent calculo materiam præbere, diuertit humores à renibus, eósque expurgat, est que hic puluis in Gallia hac multis probatus, qui eo se subinde à grauissimis renum, item & coli doloribus liberarunt. Puluis hic esto.

℞. fol. senæ ℥ ij. Rhab. opti. ʒ s. Turbit. ʒ j. s. Hermodact. ℈ ij. gra. v. Polypodij ʒ s. Cinamomi zinziberis Milij solis (quod lithospermō est) Saxifragiæ, Seminū Genistæ ana ʒ j. Puluerisentur omnia subtilissimè & misceantur. dosis à ʒ j. ad ʒ j. s. in vino albo, aut vermiculo non intensi coloris, etiam in ipsis grauissimis doloribus cū iuuamento & tuto exhibui: poteris aliquando ipsius quantitatem augere, vel hoc modo assumere.

℞. pulueris supradicti ʒ j. aut ℈ ij. aut ʒ s. diasebesten non solut. ʒ j. misce, fiat bolus detur horis quatuor ante cibum. Electuarium hoc renibus affectis vtilissimum esse constat. Quod si amarore ingrato molestus est præscriptus puluis, admixto Zaccharo is aliqua ex parte tolli potest, & pro ratione dosis exhibendæ augeri.

Quæ hactenus scripsimus necessario administrari debent, siue dolor præsens vrgeat, seu per accessiones redeat, & recidiuam faciat. Si verò dolor malè & grauiter habeat, is hoc modo tolli à me solet, partim per os assumptis, & inferius iniectis, partim ijs quæ quoquocunque modo exterius adhibentur.

Per os velim singulis diebus potionem hoc modo concinnatam manè epotari, & aliquando vesperi ante cœnam reiterari.

℞. Nucleos persicos nu. xiiij. Succi liquiritiæ ʒ j. lactis seminum frigid. maior. extracti ex aqua maluæ, vel capil. ven. ʒ ij. s. vini maluatici ʒ iij. s. mixtis omnibus contusis nucleis & dissoluto succo fiat potio. Vel huius loco quod ego expertissimum habeo ex puluere sequẽti, aquis subscribendis immixto, exhibeatur vt dicemus. Puluis hoc modo fiet.

℞. Cineris leporis integri combusti in furno secundum artem, partem decimam. Lepus suffocari debet ne vel sanguinis gutta ex eo pereat.

reat. Saxifragiæ ℥ s. Baccarũ lauri ʒ iij. Seminum violarum, fructus integri bardanæ dictæ herbæ, hoc est, ericiorum lappæ maioris, vel personatæ ana ʒ j. fol. quercus ℥ ij. pulueri sentur omnia subtilissimè, & seruētur in vsum. Accipiatur quantitate ʒ j. in vino albo mane, ieiuno ventriculo. Verùm multò est efficacior, si sequēti aquarũ mistura dissoluatur, quæ hoc modo concinnari debet.

℞. Aquæ ex stercore bouino in Maio mēse distillatæ ℥ iiij. Vini maluatici, vel albi potentis, quod per horas 24 raphanos cōcisos in vase vitreo infuderit. ℥ ij. Aquæ fragorum distillatæ ℥ j. Succi arantiorum vel limonum ʒ iij. misce. fiat potio in aurora. Hæc quātitas paulò maior assumi pōt si placet, & vt palato gratius sit medicamētũ admisceri pōt paululũ syrupi de capil. veneris, vel mellis rosacei, et ꝑ se epotari: vel si efficacius desyderas, pulueris suprà scripti ʒ j. pondus in eo dissolui, & singulis diebus cũ iuuamēto propinari. Hæc sunt remedia quibus ego in ea dispositione semꝑ sum cum magno successu vsus: non mea quidem omnia, sed quædam ex alijs primum accepta. Quæ inferius clysmata infundi tempore doloris possunt, ea debent laxare, mollire, lenire, flatus discutere, feces & crassiora excremēta educere, atq; renes roborare. Quare cōfecta sint necesse est ex dococto, parietariæ, althea, camomillæ, mal

*uæ,meliloti,capil. veneris, betonicæ. S. fœni-
græci,lini,coriandris,hordeo,omento,vel extre
marum partium, & capitis veruecis, & id
genus aliis,vel omnibus,vel quibusdam. Ad-
di possunt quæ vrinam mouẽt, fœniculus,apiũ,
petroselinum, raphanus, cardamine,sion,sisim-
brium & alia. Admisceri etiam olea harum fa
cultatibus virtute similia. Aliquãdo solutiua
quædam medicamenta his immisceri, diasebe-
sten maximè,diaphœnicwn,caßia, electuariũ le
nitiuum hisque similia. Exteriùs applicari de
bent quæ leniter discutiunt, quæ laxant, quæ
dolores mitigant. Laudo maximè si dolores ve-
hementes sunt,aliquando balneum aquæ dulcis,
aliquando insessiones in oleo,aliquãdo fomenta
ex decoctis herbis supradictis pro vsu clysteriũ:
& ex eisdẽ confecta cataplasmata, additis quæ
ex vsu sunt farinis,& pinguedinibus,& id ge
nus aliis,quæ omnia debẽt administrari,iã elo-
ta aluo clystere,vel expurgata per os exhibitis.
Hæc sunt quibus omnino cõfido te nõ solũ euasu
rũ acerbißimos dolores,quos ex calculo renũ pa-
teris,sed etiam planè liberatũ iri & curatũ spe-
ro,si fuerint à te rite & cũ iudicio adhibita. His
tamẽ quædã subiungam paratu facilia, quæ in
prõptu semper esse possunt,quibus aliâs hũc mor
bũ perfectè curaui,aliâs his ipsis corpora multa
ab eo præseruaui. In eo maximè laudo vsum fre
quentem nucleorum persicorũ,vel si haberi non*

possunt

possunt amygdalarū amararū: do edēdos decē vel duodecim manè in principio prādij, vel ante illud paululū, & statim albū aliquod nō admodū imbecille vinū in exigua quātitate propino. Itē probatus est mihi virgæ aureæ dictæ herbæ puluisculus, vel artemisiæ, vel calami aromatici, pōdere vnius drachmæ in vino albo in aurora exhibitus, sed ipsorū sit frequētior vsus. Itē accipio radices altheæ, elotas, exēteratas, vt ita dicā, infundo vino albo bono, deinde distillo, ex aqua distillata propino tempore doloris cyathū dimidiū, & iuuātur. Itē accipio aliquādo colūbū iuuenem, deplumo, abscindo caput, pectus integrū cū alis aufero, crura itē & coccigis ossa, eijcióque intestina omnia, relinquo solū dorsum ipsum, & quod ipsi interius adhæret, exicco in furno in crate ligneo, puluero, eumq; pōdere ℥ j. vel ℥ ij. exhibeo in vino albo nō sine magna vtilitate. Passer troglodites, ferè ab omnibus, licet malè, dictus regulus auicula, quocūq; modo exhibitus, me experiente iuuat calculosos. Hæc sunt quæ absens absenti tibi Reuerēdissime Abbas in salutem tuam conferre possum, quæ sane minuēt morbū, & dolores acerbissimos mitigabūt, si curare omnino haud queāt. Scripsissem diligētius, si de omnibus me certiorē vt decebat, fecisses: qđ si feceris, videbis mihi neq; doctrinā neq; diligētiā, nec minus volūtatē te iuuādi defuisse. Lugduni.

Consilium decimumsextum in calculo renum cum insigni eorum calore in muliere grauida: in quo multa de abortu, ad Fabricium Nobilem, Lucensem medicum.

Cvm ante dies aliquot Elisabetam vxorem
Nicolai puerperam curandam suscepis-
sem, vir clarissime, omniáq; mihi (ni fallor)
secundum rationem facienti, non secundum ra-
tionem succederent, consului vt vnum ex cele-
berrimo vestræ vrbis Medicorum collegio mihi
coadiutorem deligerent: nam sic futurum vt con
iunctis viribus, communicatóque consilio, na-
tura adiuuante, facilius morbum depelleremus.
Qua de causa Nicolaus te potissimum consu-
lere voluit, cuius diligentia & arte iam an-
tehac sæpius feliciter esset vsus, cùm in sui-
ipsius salute, tum suorum sanitate tutanda &
defendēda, morbísque curandis. Ego igitur mei
officij esse duxi paucis ad te perscribere, omnia
illa, quæ hactenus me præsente contigerunt, quæ
à me instituta sint, quídque ea effecerint: deniq;
adiungere, quid mihi posthac videatur facien-
dum. Quibus omnibus consideratis, vrináque
quam mittimus (nam & hæc præterquā quod
humorum in vasis contentorum, etiam earum
partium per quas expurgatur, dispositiones non
obscurè notare solet) visa, quo es singulari iu-

dicio & eruditione, censuram ferre poteris, rectáne ratione hactenus omnia sint acta: adscribere prætereà quid posthac videatur faciendum: & si ea quæ mihi probantur, non satis tibi conuenientia videantur, noua & meliora remedia suppeditare, aliósque agendi modos docere. Sed vt ad rem ipsam veniam. Iam quartus agitur mensis cùm fortè fortuna sub noctem laxandi animi gratia cum Nicolao deambularem, is eo tempore vt fieri consueuit rem vnam ex alia deducens, narrat vxorem suam in vtero habere, eámque ita graui renum & lumborum cruciari calore, vt abortus periculum timeret: petit in ea re à me consilium, etiamsi nullo vellet, propter fœtum, vti medicamento. Ego qui libenter operam meam amicis do, inquisitis circunstantijs, nō tamen visa vxore grauida, victus rationem ei præscribo, atq; consulo vt eas partes subinde cerato humido (vulgus Infrigidās Galeni vocat) sed cō fecto ex rosaceo oleo, sæpius frigida, deinde aceto loto inungeret, contegerétq; easdē viridibus vitis folijs: & si ceratum vellet paulò efficaciùs, semperuiui succū immisceret. Hoc iudicaui tū tēporis, cū & Solis & Syrij æstu vehementi premeremur, non fore imconueniens, neq; quicquam τῷ ἐμβρύῳ nociturū. Hoc vnguento tota ferè æstate est vsa. Post duos deinde mēses declināte æstate cùm fœtus iā in vterò adolesceret, perseuerante tamen renum mala dispositione, me ad se vocant,

quo perspicerem, quoad eius posset fieri, ne abor-
tiret: nam id vehementer timebant. Eo tempore
menstruæ purgationes cœperãt paulatim fluere,
ipsa cruciabatur ex eo, cum dolore, renum calore,
vigiliis, ante octiduum inhorruerat tota, & quo-
dam modo rigore aliquo erat concussa, quem ta-
men non exceperat febrilis calor, aut subsequu-
tus sudor. Ego his, & similibus symptomatibus
consideratis, & audito præcedentis partus abor-
tu, prædixi abortus summum periculum: nam
,, quæ vtero gerentes fortiter calefiunt sine occasio-
,, ne manifesta difficulter pariunt, dicit Hippo-
,, crates 5. Aphorism. 51. & cum periculo ab-
,, ortiunt. Addidi præterea fœtum in vtero ægro
,, tare, docente illud eodem Hippocrate nostro in
,, Aphorismis. Si mulieri vtero gerenti eant
purgationes, impossibile est fœtum esse sanum.
Vteri retentrix vis calore vicinorum renum
erat deiecta, fœtus imbecillior minus alimentũ
assumebat, & hoc ipsum quo vtebatur, ad nu-
tritionem erat ineptum. Erat enim meo iudicio
sanguis calidior, magis biliosus, magisquè acris
factus: cuius etiam rei indicium præbere potest
rigor qui ante dies octo præcesserat. Hîc ego nul
lum graue remedium, ne infamaretur, adhibere
volui. Vt tamen aliquid viderer agere, data vi-
ctus ratione, vnguento iussi inungi renes &
pecten, quo & firmarem eas partes, & refrige-
rarem. Vnguentum accipit malum punicum
dulce

dulce vnum, hoc decoquebã in vino vermiculo astringente, deinde contuso illo succum expressum secundò coxi, addidique infrigidantis Gal. ℥ s. Masticis ʒ j. s. hypocisthidis, acatiæ, florum labruscæ sing. ℈ s. Vng. comitissæ ʒ j. Ol. ros. omphac. ʒ iij. mixtis omnibus feci vnguentum. Hoc vnguento opinor eam nunquam vsam: verum priusquàm compositum esset a pharmacopola, illa abortiebat. Abortus tempore, (quod erat ea referente in principio septimi mensis) iam vno fœtu excluso me vocant: erat enim obstetrix etsi vetula, egregiè inexercitata. Eò cùm venissem, quæro produxerit fœtum viuum an mortuum: mortuũ dicũt, idq; pedibus prætensis. Secũda exclusáne sit, rogo, negant. Iußi suffitus quosdam fieri ex perdicis plumis, & alijs quibusdam rebus in simili casu conuenientibus. Hoc cùm non iuuaret, suadeo vt arreptam digitis, vnctis priùs liliaceo & amygdalino oleis manibus, hinc inde ad latera lèniter duceret. Nam sæpe ex ea vacillatione procidere consueuit. Cùm neque hoc succederet, iußi eam arreptam filo quodam ad coxam ligari, ne retrocederet, parturientémque mulierem ferè doloribus exolutam, curaui, vt in lectum reducerent, quo vires reciperet. Exhibuique statim cassiam (vulgus canellam vocat) baccásque iuniperi albo simplici, & cretico vinis

dissolutā, potandam: Ita paululum quieuit, donec obstetrix paulò exercitatior ex vicinis nostris balneis vocaretur. Ea quod ego putarā alia rum muliercularū relatu Secundam esse, alium fœtum esse credebat, in quam suspicionē anteà facilis veneram ex ingenti corporis mole. Hæc resocillatam quiete mulierem aggreditur, ac tādem suffumigijs præscriptis, & sternutatorio apposito eam liberat, altero iam mortuo fœtu enixam. Posteà carnis aqua, & iusculis refecta mulier quiescit, sed renum ille calor restat, coniungiturq; illi, vt intellexi, continua quædā febris, cuius tamē exacerbationes singulis diebus circa vesperā mulierculæ obseruarent. Eo tempore nullū vocarunt medicum, cùm quia recens erat puerpera, tum quòd febrem lactis esse dicebant. Sic enim vocant mulierculæ eā febrem, quæ vt plurimùm difficilē partū subsequi solet, & eam humorum agitationem & commotionem quæ fieri assolet, cùm natura humores aliunde ad vbera transponit, vt ibi genito lacte exclusum infantem nutriat atque sustentet, eámque febrem obseruarunt, vt plurimum, ad nonum diem extendi. A partu duodecimo die febris dicta puerperam reliquit, verùm ita erat dura aluo, vt ea nihil submitteret, nisi quotidie clysteribus elueretur. Hoc vbi non fieret, dolores cum renum calore increscebant, qui iam anteà feces exiccarat, duráſque red-

diderat:

diderat: sic mutuo opere & aluus & renes imbecillem mulierem frequentia clysmata auersantem agitabãt. Eo tempore me conueniunt, iubent vt aliquid præscribã, quo poßit tuto illæsa sanitate vti, cuius beneficio aluus suum exequeretur quotidie officium: id etiamsi difficile esset præstare absque corporis læsione, in tam parua quantitate: tamen quod subscribam mulieri dedi, quo vteretur aliquando ante cibum ponticæ nucis magnitudine: nam hoc meo iudicio sanitati obesse non potest, cùm humores eorúmque excrementa equaliter (si quid in tam parua mole ducit) ducat. Neque timendum est quòd naturam assuefaciat, quo minus suo fungatur officio, nisi irritata. nam subcisiuis temporibus, & rariùs iußi exhibendum, minúsque eam exagitat, quàm continua & quotidiana clysmata. Compositio hæc est. Accipe pulpæ passularum lotarum in aqua violacea extractæ cum succo rosaceo, Conseruæ prunorum, vtriusq; ℥ iij. Pulpæ vel carnis dactylorum extractæ cum syr. ros. sol. ℥ ij. Hæc omnia subige cum syrup. ros. sol. & decoque cum succharo: posteà adijce pulpæ seminis cartami ℥ j. Reub. ʒ j. pul. myrobol. Citrin. ʒ iij. indorum ʒ ij. pulueris senæ præpar. ʒ ij. eisq; omnibus commißis, confice solida forma quoddã conditum, quod consistentia diacitonitem, vel cotoniatum refert. Huius confectionis assumpsit

aliquan

aliquando magnitudine nucis, atque naturali quodammodo aluus corporis excrementa reiecit. Interim dum hæc aguntur, febre remissa insignis & continua caliditas renum mulierem exercet, neque vllas concedit inducias, adeò vehementer continuè cruciat, lecti teporem ferre non potest: neque quicquid iuuamenti sentit postquàm eum reliquit, obest deambulatio, exercitium quamuis mediocre, obsunt vestimenta, nocet ignis caliditas, percipit quendam caloris vaporem à renibus leuari aliquando, qui postquam ad septum transuersum deuenit, videtur mulier tota intercendi, atque exolui: quemadmodum in ijs videmus fieri qui iam fractis viribus ex longo morbo incipiunt conualescere, atque ad luculentum ignem accedunt: nam in ijs exiguus naturalis calor ab externo facilè dißipatur, & exoluitur. Vrinam satis copiosè reddit, tinctam satis, sed absque laudabili sedimento. Eo tempore, & in his angustijs me vocant: ego consideratis omnibus arbitrabar renum esse quandam intemperiem calidam, atque ob hanc causam vires eorum dissolui, copiosa vrina, & innumera alia hoc ostendere videbantur. Venit mihi etiam lapidis suspicio in mentem: sed quia dicebant eam nunquam edidisse eius specimen in vrinis, non vlterius sum progressus. Verùm hoc quod sequitur manè exhibui ante prandium, vt si qui calidi humores essent ab intemperie illa geniti leniter edu

cerentur, eæque partes nonnihil & refrigerij caperent, & roborarentur. Exhibui ex caßiæ n. t. ℥ j. Reubarb. Seminis lactucæ sing. ℈ j. Corall. rub. gran. vj. Mixtis omnibus bolum cum succaro. Præscripsique vnguentum hoc, renibus & lumbis inungendum. Vnguẽtum recipit, Infrigidant. Gal. ℥ s. Ol. nenupha. ʒ iij. Suc. Lactucæ Vmbilic. ven. Semperuiui sing. ʒ ij s. Sand. rub. ℈ j. s. Corall. rub. ℈ j. Camphoræ ℈ s. violarum, florum nenuph. sing. ℈ s. Seminum endiuiæ, Portulacæ, sing. gra. vij. Ol. rosf. omph. ʒ vj. Ceræ lotæ in aqua rosf. q. s. videtur. Adderent insuper, iußi plumbeam laminã vndique multis foraminibus pertusam: eaque lumbos circundarent. Voluiusculis interim immiscerent communia frigida semina, quæ vocamus, maiora, contusa, atque in muccaginem lacteam soluta. Iußi cum carnibus lactucas decoqui, vinum tenue bibendum dedi, quod aquâ villensis balnei esset dilutum egregiè. Denique illa omnia, quæ videbantur eas partes refrigerare posse sine detrimento, præscripsi. Habebam quoque in animo alias quasdam potiones præscribere: sed multitudinem remediorum auersatur mulier. Hæc cùm curassem, auocor Pisas ad ægrotum quendam curandum: interim sex continuis diebus, hanc viuendi rationẽ, vt inquiunt, sequitur: Verùm

rùm balnei aqua vini non infringit vires: caſ-
ſiæ pulpam deuorat: vnguine præſcripto con-
tinuò vtitur, vtitur & lamina plumbea. Sic mi-
hi narrant heſterno veſperi, nam eo tempore
primùm rediÿ ſub noctem: calorem dicunt pau-
lo remiſſum, ſed dolorem intenſiorem, eum-
que vt plurimum in ſiniſtro rene ſigi, dolorem
ſubgrauem eſſe, præcipuè cùm è lecto ſurgit,
aliâs infixi aculei ſenſum præbere, ſpinam
vt etiam antea ſolet, ægrè ad motus flexilem
habet, crura dolent, videnturque quodam
modo torpeſcere: dolor à prandio poſt aſſum-
ptum cibum videtur ingraueſcere, vrina mi-
nus tincta eſt ſolitò, ſed longè tenuior, quæ
etiamſi arenulas nullas in fundo repræſentet
(quod opinor primum fieri cum lapis diſſol-
ui incipiat) tamen hæc omnia mihi iam po-
tiùs calculum, aut infarcti alicuius, & indu-
rati humoris in renibus, quàm cuiuſuis alterius
affectus indicia videntur: nam ferè hæc ſunt,
ſi rectè memini, quæ Hippocrates noſter lib. 6.
Epid. recenſet, part. j. Aph. 5. Huius rei ſum
certus, inflammatos non eſſe renes. Videtur
enim ab omni febre omnino libera, vt reliqua
indicia taceam, nullum eſt in renibus vlcus:
ſola calida intemperies ſi fuiſſet ex adhibitis
medicamentis debebat remitti. Calculi ſuſpi-
tionem auget præter iam dicta ſigna, ſingu-
laris earum partium caliditas: nam hæc ſola
apta

apta est vbi conuenientem materiam nanciscitur, calculos in corpore nostro generare. Frigus enim etiamsi in rebus externis lapides cogat, vt iridem, crystallum, innumerósque alios: tamen nunquam in viuo corpore tantum esse valet, vt lapides ex quacunque fuerint etiam materia producat. Quibus rationibus motus hesterno vesperi cœpi quædam præscribere, quæ mollire, dilatare, inungere meatus, & abstergere valent. Ea tamen ita volui temperare ne calorem haberent excedentem: sed nonnihil frigidi, quod eas partes consolaretur, & corroboraret. Clysma quia iam biduò non subsederat curaui iniici, ex decoctione capill. ven. maluæ singul. m. j. s. rad. altheæ ℥ iij. Seminum lithospermi ℥ j. facta in iure pulli, admixtis ol. scorpionum, anethino, violato, Cassia colata, & pauco butyro. Iussi prætereà decoqui in lib. vj. aquæ & aceti ℥ iij. Seminum fenig. ℥ j. s. S. lini ℥ j. rad. althæe ℥ iij. Seminũ altheæ p. s. Capill. ven. m. ij. Rosarum rub. parietariæ ana. m. j. florum camomill. rad. graminis. sing. m j. Hac decoctione egelida irrigatam spongiam ante cibum curaui renibus applicari. Hoc iam secundo factum est, neque tamen quicquam persentit iuuamenti. His ego hactenus sum vsus, quæ volui omnia perscribere, vt iudicares rectène an minus ea sint adhibita. Neq; piget illa

subiicere

subijcere quæ habebam in animo posthac exhibere, quibúsque remedijs vti. Consului aliquando sanguinis detractionem ex exteriore malleoli vena, sed vt sit ineptarum muliercularum persuasiones, quàm medicorum sana consilia apud plerosque plus valēt. In ea opinione adhuc sum, si tibi videbitur, nam aliquando singulare sum ex eo remedio iuuamentum in ægrotantibus consecutus, vt taceam etiam Galenum hoc in lib. de venæ sectione docere, & Hippocratē Epid. 6. Vel si hoc auersatur, saltem binas cucurbitas cum scarificatione, hinc inde imis & infimis natibus applicare. Deinde ea potanda & deuoranda exhibere quæ calculum submouent, sine manifesta caliditate, Decoctiones rad. asparag. Rubi, graminis, vmbil. ven. Liquiritiæ, Altheæ: herbarum capill. ven. Adianthi nigri (Galli saluiam vitæ, & saxifragiam vocant) betonicæ, Agrimoniæ: Seminum altheæ, Paliuri, Communium frigid. maiorum, Cicerum, mespilorum, halicacabi. His adiungere succos limonum, Liquiritiæ Gummi Cerasorum, Pruni & similia. Ex quibus nonnulla decoqui possunt, alia in puluerem contundi, atque ita diuersimode exhiberi: nam ea omnia ferè vt conuenientia sunt, ita exiguā quædā, quædā nullā caliditatē obtinent. Sunt multa alia, etiam quæ propemodum omnia calida sunt: multa quæ sua quadam proprietate prosunt: plurima etiam quæ asperitate

tate quadam atterunt, quæ enumerare apud te, est planè superuacaneum. Mulier hæc quod ferè eram oblitus, sed tamen dictum oportuit, nullo alio affectu detinetur præter quàm dicto: alioqui rectè valet. Verùm à partu semper maximè cùm mouetur, aliquid ex vtero rubicundi humoris distillat: neque vnquam is humor fixus est, quò debitum excretionis suæ tempus expectare possit. His omnibus diligenter perpensis, rogo vt nobis rescribas, quid facto opus tibi videatur, recténe an minus hactenus ea à me sint acta, quídque fieri velis. Hæc, ne meo officio deessem, prolixius scripsi, sed obiter: volebam & alia scribere si temporis plus habuissem, & nisi prolixitatis puduisset. ex Burgo vestro.

Consilium decimumseptimum in calculo renum pro eadem. Fab. Nobil. Solenandro. Sal. P. D.

TVis perlectis literis apertè cognoui te plurimũ ingenij viribus pollere, plurimúmq; tibi eruditionis inesse. Igitur mirum videri non debet si affectus, causas, symptomatáque Dominæ Elizabethæ exactè cognouisti, simúlque rectè curationem aggressus fueris. Curatio enim recta ex illorum cognitione, tanquam ex filo quodam pendet. Quòd si morbus non cessit, hoc in

huius contumaciam, meritò referri debet: neque tamen ob hoc ab incepto desistendum est, sed acrius oppugnandus, & frequentioribus ictibus concutiendus, vt tandem victus cogatur victricis naturæ leges subire, & obsequi. Quod quidem fiet præsidijs tempestiuè admotis, vel intro deuoratis: & vt statim rei cardinem petam, victus ratio mediocris instituenda est. Cibi enim probi succi sint, & qui pauca excrementa gignant: mediocriter calidi, & qui attenuent. Nam ex indicijs allatis non leuis suspicio incidit, ne hæc lapidem in rene sinistro habeat., qui quidem fieri vt plurimùm assolet ex humore crasso, & viscido tanquam ex causa, quæ rerum ortui subijcitur. Calor autem seu ardor circa renes, aut vesicam opifex causa est. Nam hæc mulier iam diu est quòd de immodico calore renum conquesta est. Præterea cum in vtero haberet, non poterat se exercere: & multa etiam in prægnatibus aceruantur excrementa, quæ singulo quoque mense excernere consueuerant: Prætereà mulier frigidior quàm vir, idcirco ad pituitæ generationem magis idonea: & plurimùm etiam mulieres intra ædes & domesticos lares instar testudinis se continent: igitur multa cruda, & pituitosa in ipsis gigni., & aceruari credendum vtique est. Non negarem tamen multa biliosa, venosum genus occu-

passe

passe. Causæ igitur videntur adesse pro lapide creando: & si in vrinis non subsederint arenæ, non propter hoc mutanda sententia: quia multoties lapis est leuis, & exactè concretus, compactúsque, vnde vrinæ lambendo nihil abradunt: sensus alicuius ponderis percipitur, quod aliquam facit fidem: crus è directo torpet, stupétque: vrinæ magis nunc videntur perspicuæ, tanquam exactius percolatæ. Summopere igitur timendum, vel quod præsens sit lapis, vel saltem futurus, cùm locus, materia, opifex præsto sint. Patitur etiam nonnunquam muliebrem fluxum: nam aliquando distillat sanguis. Vndè vel acredinem sanguinis vel vteri retentricis facultatis imbecillitatem ostendit. Quare cùm affectus magnitudo insit, non parum insudandum, & cùm præsens minimè sim, tibi fidem habeo, quia omnia dilucidè & apertè enarrasti: scire tamen exoptassem quo modo mulier fuerit à partu expurgata. Nam suppreßi menses à partu malum: præterea an colorata mulier, an decolor: & quis color efflorescat, an pallidus, plumbeus, subniger, vel subalbidus: & qua etiam viuendi ratione sit vsa: & si vnquam sanguinem minxerit. Nam si non probè expurgata omnino saphenam aperirem, & si corpus prauis esset infectum succis, exhibitis syrupis, qui vim haberent præparandi, vel concoquendi humores noxios,

& qui ſuperant in corpore ſiue bilioſi aut pituitoſi, aut atrabilarij ſint, aut etiam mixti, propinarem aliquod medicamentum, quod humores vitiatos, noxámque inferentes purgaret. Quod tamen medicamentum ex ſalubribus concinnaretur, vt radice barbarica, melle aërio, diacatholicon, & huiuſmodi. Poſtmodum autem deueniendum eſſet ad ea præſidia quæ lapides atterant & expellant à renibus, vel expurgent materias illas, quæ in lapidem, ni occurratur, degenerarent. Et ſi corpus huius, quod minimè tamen reeor, ſanguine abundaret, neque menſes fluerent, non crederem abſurdum, inutiléque eſſe, venam cubiti interiorem ſecare, nam & hanc ſanguinis miſsionem auſcultant renes: deinceps die interiecta ſaphenam aperire. Sed parcior ſit vtraque ſectio: nam prior auerteret, ſecunda verò magis à parte læſa euacuaret. Quibus peractis, purgationem moliri, & ab hac vrinam cientia porrigere, quæ tamen mediocriter calida ſint. Et certè, vt dicam liberè quod ſentio, facta corporis euacuatione, tam per venæ ſectionem, quam per medicamentum purgatoria vi præditum, crederem niſi virium infirmitas diſſuadeat, aut febris aliqua, quod potus aquæ villicæ poſſet huic mulieri ſummopere opitulari, quoniam calorem renum retunderet, humores ibi fixos, vel forſan etiam & lapillos expelleret, & illi etiam ſanguinis diſtillationi

opem

opem ferret: Nec tempus anni obstat, quoniam aquæ naturales tam hyeme quã æstate suas vires custodiunt. Et si aër circunfluus frigidior, humidiórque sit, potest igni ad mediocritatem deduci, vel calidior fieri: etiam sanguis, & si rigeat hyems, vel æstus sæuiat, mittitur, vbi dura necessitas cogit, & impellit. Sic & medicamenta purgantia porriguntur, licet Vere & Autumno hæc tutiora sint, & iam etiam mensis vnus transactus est ex quo ista peperit, neque eius corpus amplius funditur, nec hæc aqua aliqua est praua infecta qualitate, & moderatè purgat, ac partes laxas firmat, & corroborat.

Sed sat sit monstrasse locum. Si dolores infestarent, laudarem infusa per clysteres ex seminibus fœnigræci, seminibus lini, cartami, cum succo cassiæ nigræ, benedicta, oleo anethino, pinguedine anatis. vel gallinæ, ex aqua è Tectuccio, admoueantur quæ tepidum calorem, sed non quæ astringant. Oleum amygdalar. dul. epotum, sed recens sit, probo: etiam resinam terebinthinam, vel quando vrgeret casus potus aquæ è Testuccio summopere conferre consueuit. A cuius potu postmodum, & quæ vires recolligant, & quæ calorem moderentur offerri poterunt. Vale, & vt soles me ama. Lucæ.

Consi

Cōsilium decimumoctauum in vrinæ difficultate, & quadam inter meiendum interceptione, In quo etiam de vsu balnei. Pro mercatore Florentino.

Licet à cæteris Medicis satis superque ea vrinæ difficultas, quam experitur hic Nobilis vir, cognita sit, & causa perspecta, tamen quia iubet, vt quoque aliquid in ipsius curatione auxilij feram, pauca quædam de ea dicam: atque illud primùm, quòd difficultas illa vrinæ, & illa inter meiendum interruptio, vel interceptio ab eadem causa prouenire, atq; eiusdē causæ effectus esse mihi videntur, quemadmodum paulò pòst ostendam, vbi antè eius causam quesiuerim: Vrina recepta in vesica (nam quòd desit eius materia, vel aliò quàm ad vesicam deferatur, vel in itinere ab affectis renibus, vel οὐρητῆρσι*, intercipiatur non est opus hoc loci referre) difficilè redditur, vel quia meatus occluditur, & quodammodo conniuet, vel quia expultrix vis suo munere non ritè fungitur, vel quia musculus qui vesicæ collum ambit, propter aliquē affectum, voluntatis imperio difficulter obedit: Quæ ex his mali causa sit considerandum. Meatus minus patet vel quod obstruatur, vel coarctetur. Obstruitur ab humoribus crassis, viscidis, multis, calculo, pure, grumo,*

caruncu

caruncula, vel aliquo alio tumore vesicæ, aut vicinarum partium. Quod ex his causis nulla in eo vrinæ difficultatem faciat, certum est, Nam quod nullus tumor in vesica sit, constat, quia nullus dolor, nulla tensio, nihil tactui, vel cæteris sensibus tumidum apparet: quod item non in cæteris partibus, cognoscitur, quia nullius alterius actio læsa sit. Quod neque calculus sit, neque caruncula, iandudum catheter subinde immissus, & alia indicia certum eum fecerunt. Sanguinis grumus, aut pus esse nequit, quod nullus alius affectus in corpore fuerit, ex quo hæc expurgari possint: taceo quod tanto tempore, vel semel excretum aliquid tale fuisset, atque tum vrina expedita magis reddita: quod idem de crassis, & viscidis humoribus accipiendum venit. Relinquitur igitur vitium hoc attribuendum esse, aut ipsius vesicæ expultrici facultati, aut musculo eius non agente, vt decet, aut vtrique. Atque vt hîc dicam quod sentio, arbitror vtranque causam hanc, conferre aliquid, atque concurrere, vesicæ scilicet expultricem debiliorem factam, & musculum minus obedire motui voluntario: atque vtriusque causam existimare decet esse ab intemperie frigida, idque in ipsis fibris vesicæ mucco quodam frigidiore imbibito, vnde laxiores factæ in sese contrahi

non poßint, & expulsionem obire, Musculum verò propter frigus minus ad mouendum habilem esse. Quapropter cum in eam actionem intentiùs voluntas intendit, ac quasi omnem facultatem eò reuocat, multa tandem mora laxato musculo, & aliquantisper fibris cōtractis emittitur vrina. Et quia virtus admodum imbecilla est, & musculus malè habilis, fit vt in ipsa actione, hoc est, vrinæ excretione, subinde illa intercipiatur facultate deficiente, & instrumento minus ad actionem apto. Quod etiam sæpe & multùm in aliarum partium actionibus obseruamus: nam musculis, exempli gratia, in brachio propter similem intemperiem debilioribus factis, & facultate integra non præsente, attollimus, vel extendimus quidem brachium, sed magno conatu & longa mora, necnon subitò & sæpe recidit, vt in tremore cōtingere vidémus. Quòd autem frigida intemperies sit huius causa, multa ostendunt, longitudo mali, vrina quam vt plurimùm albam & crudam excernit: itē quòd ex Guaiaco cæterisq; calidis iuuamentum senserit, atque potißimùm illa, quæ successit in Venerem egregia impotentia, certißimum frigidæ intemperiei indicium. Totus denique habitus corporis illius, hoc docere potest, & alia multa, quæ ne longior sim, subticeo. Quod in vesicæ fibris muccus quidem pituitosus descendat, indicium inter cætera dare pos-

sunt filamenta illa, & alia id genus pituitosa sæpe vrinæ innatantia corpuscula, vt ex varijs Galeni locis dictãte etiam ratione colligere licet: Hactenus quia nullus dolor eam partem fatigat, videtur morbus leuior: sed tamen quia ex δυσουρίας *facilè in* ἰσχουρίαν *id est, omnimodam vrinæ suppreßionem peruenire potest, succurrendum ei est. Nam vrinæ suppreßio, quæ difficultati succedit paulatim, ab intemperie frigida, mihi ferè incurabilis videtur, & nobis etiam multùm reluctantibus solet magna ex parte hominem auferre, maximè si difficultas vrinæ diuturna sit, & homo iam ad primum senium accedat. Nam omnia vesicæ, & renum vitia in senibus difficilè curantur, dicente Hippocrate. Quam difficultatem augent plurimùm quòd remedia non queant commodè affectæ parti applicari: quòd illæ semper excrementis scateant: quod item frigidiores sint natura, & maximè vesica, quæ membranosa est planè & egregiè exanguis. Auxilia quibus hæc vrinæ difficultas tolli debeat, facilè patent consideranti causam morbi, & partis affectæ naturam. Nam quia frigida intemperies est, calidis auferri debet: quia muccus quidam imbibitus statuitur, is & expurgandus venit, & absumendus. Verum quia ea quæ calefaciunt, & vrinam ciere valent, solent vesicam imbecillam multùm onerare, deductis &*

quasi tractis eò humoribus ex corpore, & eorum excrementis, corpus vniuersum ab his liberare primùm decet, & expurgare. Sed quia id aptè fieri, & sine detrimento nequit, nisi frigidioribus, & crassis humoribus ita primùm præparatis, vt quod natura conquoquere non valet, illud, ea expellente, & medicamento trahente, promptè & facilè sequatur: Præparandi illi primum veniunt incidentibus, abstergentibus, calefacientibus, concoquentibus. quibus semper illa admisceri debent, quæ ex sua natura vesicam, & illius partes respiciant. A quibus principiò curatio omnis auspicanda, & ita inuerso ordine ad id perueniendum, quòd primùm propositum ex natura morbi faciendum inuenimus. Cæterùm quoniam pleraq; omnia illa hactenus à varijs Medicis diligenter præscripta sunt, & aliqua ex parte ab eo in vsum adhibita, nihil scribam de ijs: adhortabor solum vt eadem medicamenta sæpiùs repetita experiatur. Nam quod prima vice efficere non potuerunt, saltem secunda & tertia præstabunt. Tamen de hoc diligenter eum admonitum volo, vt summa cura prospiciat, ne eo tempore cùm vrina grauiter retinetur, accipiat ea quæ ad mouendam vrinam à Medicis exhiberi solent: quæ quoniam calida sunt, & acria, & serosum sanguinem à crasso segregant, docente Galeno lib. 5. cap. 12. de med. simp. facul. multam ma-

teriam

teriam ad vesicam deducunt, quapropter solent aliquando graue & lethale periculum inferre iis, qui, cùm ob expultricem vesicæ vim debilem, multam vrinam collegerunt, omnibus modis, diureticis vocatis, hoc est vrinam mouentibus medicamentis, solent illam sollicitare: quod vt est grauissimum, & capitale crimen, ita fere à plerisque Medicis non sine errore solet statim committi in suppressa vrina, diuretica, quæ illam moueant, & expellant, quærentibus. Verũ in eo casu (si vnquã inciderit) potius cathetere, vel alio medio, vt dixi, curabit primùm illam euocari, posteà paululum corpus purgari, & tum calefacientibus, & vrinam mouentibus rem sollicitare. Remedia particularia non scribo, quòd his sit instructus: tamen ego maximè in eo casu laudo amygdalas amaras, vel iis meliores nucleos persicos commestos. Item puluisculũ virge aureæ dictæ herbæ, vel artemisiæ, vel calami vulgaris aromatici, quẽ velim cũ vino albo tenui, generoso satis absorberi ʒ j. vel ʒ ij. põdere. Mirũ quàm sint ex vsu hi pulueres, si in frequẽtẽ vsum adhibeantur, vel simplices, vel mixti. Lignũ Guaiacum, eiúsq; decocti vsus adhibita illa tenui victus ratione quæ solet, mirum mihi probatur: atq; non mihi præter rẽ videretur, si ineũte hyeme rursus eo vteretur, nisi balnei naturalis, vel thermarum vsus penitus ipsum eo morbo liberaret. Victus rationem nullam

nullam præscribo, quòd illam abundè ex me per-
ceperit, & Medici quibus cum quotidie versa-
tur eam imperare valeant. Verùm quandoqui-
dem in animo habet naturalia balnea experiri,
quæ, post omnia alia remedia frustra sæpe tenta-
ta, solent ijs morbus plerósque liberare, & meum
in ea re consilium requirat, breuibus quod sen-
tio expediam. Balneorum naturalium aquæ ad
vnam omnes siccant, quædam tamen excalfa-
ciunt, quædam refrigerant. Quæ calfaciunt,
& siccant, siue hæ extrinsecus corpori admi-
nistrentur, siue potione assumantur, ex vsu
ipsi esse queunt. Verùm ex his delectus ha-
bendus est, quandoquidem multæ calidæ &
siccæ assumi sine internorum quorundam visce-
rum noxa nequeunt, aut sine incommodo ex-
terius applicari. Quæ medicam facultatem à
sale modico, vel modico nitro, vel alumine, &
calorem ab igne in sulphure potiùs, quàm bitu-
mine accenso habent, salubriter ab eo assumi
possunt: & si fortè his accessit in mistione
nonnihil virium ex ferro, omnium aptissimè
haberi debent: quandoquidem partes quas per-
labuntur, egregiè roborant. Huius naturæ mul-
tæ sunt passim per Italiam, quarum vsus mihi
probatur. Balneum apud Viterbium de Grot-
ta dictum, mirum in modum laudarem, si ipsius
aquam in huius morbi curatione biberet.
Etenim inter cætera egregiè vesicam, & vias
vrinæ,

vrinæ, & renes a viscosis, & frigidis humoribus exterit, & extritos roborat. Item balneum quod vocant Aquæ Borræ non longè à monte Varco, ex sale, ferro, alumine constare creditur, cuius aquam si biberit omnino iuuamentum persentiet. His adhuc magis mihi probatur aqua Porretæ, nam ad vrinæ retentæ vitia scio experimento egregiè valere. Subsalsa item ea aqua, quæ apud montem Catinum Bagniolo dicitur, ex vsu esse potest. Item Villensis apud Lucam, licet cæteris minus, atq; horum balneorum aquas inter alias Italiæ in istius morbi curatione bibendas darem. Verùm quoniam non solùm internè exhibito remedio contra tam grauem morbum pugnandum est, sed etiam exterius applicito. Non improbo si Villensi aqua vtatur eo modo quo scribam, quandoquidem eodem in loco vti poterit Corsenæ balneo, quo meo iudicio non inueniet aliud, quod magis sine nocumento prodesse possit lotione. Et si fortè alio in loco, vt in Flamminia Balneum D. Mariæ: in agro Senensi aliud, item quædam in Patauino inueniantur, quæ prodesse possint, tamen hoc de Corsena longè optimum est, & multorum experientijs approbatissimum. Cæterum vbi in Italiam venerit, in his omnibus consilio vtetur Medici alicuius experti. Quòd si meo velit vti, suadeo vt curationem illam in balneis Lucensibus exequatur, quòd ille locus sit tēperatissimus

quod

quod ibi omnium rerum necessariarum commoditas, & quod summū est, quòd eo in loco habeat balneum exterius applicādū, & aliud cuius aquam poterit salubriter in potione eo modo, quo dicemus, vti. Quod velim hoc modo fieri. Priusquàm aquæ potione cœperit vti (nam ea lotionē præcedere debet, vt vniuersalia solent particularibus, & topicis) necessum est vt corpus antè expurgetur, siue hoc fiat in ipso balnei loco, siue Florentiæ. Eo tempore consulto Medico si placet, poterit vti, electuario hoc solutiuo.

℞. Benedictæ laxatiuæ, Diasebesten non sol. ana ℥ s. Pul. liquiritiæ. s. anisi ana ℈ s. Misce, detur tribus horis ante prandium. Sequentibus quatuor vel quinque diebus poterit syrupos illos assumere, quos aliâs Medici præscripserunt, vel hoc nostro subscribendo vti.

℞. Rad asari, Petroselini, fœniculi ana ℥ j. Rad. enulæ, liquiritiæ. S. fœniculi, Peoniæ ana ʒ iij. Calaminthes, Artemisiæ, Betonicæ ana m. j. Sabinæ m. s. fiat decoctum, coletur, clarificetur, in quo dissoluantur pro lib. j. mellis cocti & dispumati ℥ iiij. aceti quod infuderit flores sambuci ℥ ij. deinde aromatizetur cinamomo, de quo capiat manè in aurora ℥ vij. vel viij. & cōtinuet. Tandē diebus illis exactis purgari, vel Benedicta, vel electuario Damasceno vocato, q̄ vtraq; mihi

val

valde in isto morbo non sine ratione probatur: neque displicet Diaphœnicon, vel pilulæ Benedictæ vocatæ. Rhabarbarum verò quod solum Parisienses Medici laudarunt, nolim ego ab illo simplex assumi: quod in ea quantitate ipsius virtus ad locũ affectum non penetret, & ferè aliũ humorem quàm eum, qui in ipso peccat, educat. Ego potius ipsius loco simplicem terebinthinam, vel larignam vel abiegnã assumẽdam arbitror. Vbi fuerit purgatus, & ventum fuerit ad balneum, debet vno aut altero die, & ex itinere, et ex purgãte medicamento vires recolligere, tum aquã assumere. Verùm id velim fieri hoc modo. Quod si tum tẽporis eo in loco haberi queat Porrectæ aqua, recens, eam velim triduum assumi: sin minus totidem diebus assumenda aqua Montis Catini, quam vocant de Bagniolo: vel si ea recens non fuerit, accipiat aquæ Tectutiæ & Villensis balnei æquales partes mixtas (nam apud Lucensium balneorum pharmacopolas vtraque inuenitur) atque eo modo curationem prosequi decet ad dies quatuordecim vel sedecim, vel longius si opus est. Nam hoc modo temperata egregiè profutura est: salsa Tectuciæ dicta aqua calfaciente, & siccante, excrementáque frigida extergente, Villensi verò, & hoc mediocriter agente, & vesicam roborante, admixtámque aquam expeditius ad locum affectum ducente.

*In assumptione huius aquæ multa sunt con-
syderanda, tempus, quantitas, modus, & non-
nulla alia. Assumenda manè vbi sponte exper-
giscitur, vbi cœna, quæ leuior debet præcessisse,
omnino cōcocta, & digesta persentiatur. Assu-
mere debet eam quantitatem, quam ventriculus
ferre potest. Et quoniam locus, quē n orbus malè
habet longissimè à ventriculo dissidet, quo ma-
iorem quantitatem digerere sine molestia potest;
eo melius fecerit: neque hîc debet vulgi iudi-
cium sequi, quod omnibus eandem mensuram
aquæ, septem scilicet librarum, exhibere solet.
Quantitatem eam dimidiæ horæ spacio epotari ve-
lim. Quo verò modo assumpta digeri debeat,
ipse ex tempore consilium capiet: nam non om-
nibus æquè excernitur, Quidam hærentes in le-
cto, alij sedentes, alij deambulantes egerunt: om-
nibus hoc cōmune est, vt se à somno defendāt, &
ab aëre externo maximè frigidiore tueantur.
Quare tempus vtendi his aquis, est à principio
Maij ad finem Iunij. Item ab Idibus Augusti
ad finem ferè Septembris: nam cætera pars anni
vel calore molesto vires corporis resoluit, vel fri-
gore nimio præmit. Quod ad me attinet, quia
aqua villensis semper sibi similis est, neq; vnquam
turbatur, placet mihi verna magis purgatio, &
statim post eam huius aquæ assumptio, quam
tempore Autumni. Vbi assumpta est differen-
dum prandium donec aut omnis, aut eius ma-*

gna

gna pars per vrinam vel ſedem excreta fuerit. Sumunt inditium excretæ aquæ ab vrina tincta, quæ aquam ſubſequi ſolet: licet & hoc non vbique & ſemper verum eſſe poßit. Quòd ſi fortè primis diebus retineatur, ſolet euocari clyſmate ex eadem aqua iniecto, & cibus longiùs ſolet differri. Et vt faciliùs ad partem affectam perueniat, neque multos flatus in corpore excitet, ſolemus, aliquando primis poculis quædam admiſcere, quæ pro ratione & iudicio Medici varia eſſe ſolent. Ego laudo vt his ſubſcriptis vtatur tabulis.

℞. cinamomi		℥	j. s.
Cubebæ, Calami aroma.	ana	℈	j. s.
Aniſi, fœniculi	ana	℈	ij.

puluerisatis omnibus ſubtiliſsimè, fiant rotulæ cum zaccharo diſſoluto in aqua artemiſiæ q.ſ. addendo muſchi gr. iij. Ex ijs vnam aut alteram aſſumet vel ante potionem, vel ſtatim poſt ebibitam aquam ad libitum. Singulis quaternis vel quinis diebus intermittendus vacuus dies à potione, & eo die clyſtere eluenda aluus, quem mauelim ex aqua balnei Corſenæ, quàm Villæ: miſcebit mellis anthoſati, roſacei ana ℥ ij. Ol. camomillini, laurini, ana ℥ j. s.

Quandiu hæc aqua aſſumenda ſit, morbi magnitudo & longitudo oſtendet. Ad minus velim diebus quindecim aſſumi, poſt lauari pluribus diebus, ac tandem rurſus ad eandem po-

tionem redire. Quocunque tempore, & quoties-
cunque assumatur, semper ea caliditate ebiba-
tur, qua scaturit foras, quae naturae minimè mo-
lesta est. Post quam tempus potionis aquae ab-
solutum est, balneo vtendum erit: in qua re non
mihi tam placet aqua Villensis, quàm Corsenae in
isto morbo. Nam Villensis propter ferri, & alu-
minis naturam, non multùm se in internum cor
pus insinuat, sed potius externum habitum desic
cat, atq; occludit. Vndè fit vt per accidẽs subin-
de internũ corpus calfaciat. Verũ Corsenae aqua
quia nitrosa creditur, faciliùs penetrat, & vesi-
cam ita iuuare potest. Tamen interim dum vte-
tur potu aquae Villae, non fuerit ab re aliquando
sub vesperam in eadem lauari, aut saltem eo die
quo aluus clystere elota est. In Corsenae balneo
hoc modo curationem administrabit. Summo ma
nè sponte experrecto homini, & coctione egre-
giè facta, excretis, si fieri potest, & vrina & aluo,
descendendum in balneum, ad vmbilicum ferè
vsq;. Primis diebus in piscina anteriore, quae lon-
gius ab aquae scaturigine distat: quo tempore
etiam satis est ad dimidiae horae spatium calorem
eius perpeti: succedentibus diebus, & diutius
immorari, & propius ad aquae fontem accedere
par est. Mora in balneo solet horae spatio termi-
nari, verum eam is metietur pro ratione toleran
tiae, & corporis sui dispositione. A lotione sta-
tim decumbet ad horam vnam: interim tamen si

nihil

nihil dormiat, parum refert. Post indutus deambulabit leniter, donec hora prandij accedat, quam vt plurimum velim hora decima quinta esse. Nam vesperi sub vigesimam primam velim eum rursus in balneo esse, eodem modo, ordine, denique omni ratione qua manè: hora vigesisima tertia cœnam assumere. Interim dũ balneo vtetur, nõ mihi videretur præter rationẽ aliquando manè in egressu balnei aliquid assumere, quod vesicam respiciat affectam, & leniter vrinam moueat, vel Zulapia confecta, vel pulueres in vino tenui & claro, vel decoctum aliquod. In omnibus his conducet multùm artemisia, & ea quæ superius diximus. Laudo ego hunc puluerem.

℞. Nucleorum persicorum, Cerasorum ana ℥ ij. S. dauci, sileris montani ana ʒ vj. S. fœniculi, Anisi, Liquiritiæ ana ℥ s. Artemisiæ ℥ j. Zacchari albissimi ad pondus omnium. Puluerisentur subtilissimè, & misceantur, capiat cochleare vnum in vino albo tenui, vel aqua balnei S. Ioannis (quod ibi præsens est) mane in egressu balnei. Neq; hoc absurdum videri debet: nam omnes, qui de hoc morbo scripserunt, solent statim à balneis artificialibus hæc sua remedia exhibere. Et Menghus Fauentinus celebris suo tempore Medicus in calculo & difficultate vrinæ exhibet post lotionem, vel ebibitam aquam Grottæ, Iustinum electuarium, vel lithontripon vocatum. Quod

si superiores lumbos plus æquo excalfaciat balnei vsus, in ingressu balnei & egressu inunget hypochondrium dextrum & lumbos superiores vnguento sequenti.

℞. Vnguenti sandalini, infrigid. Gal. recent. ana ℥ j. Misce. Quòd si aluus astrictior fuerit, sollicitāda aliquando ante cibum lenientibus, iusculis, prunis, & id genus aliis, vt plurimum tamen clysteribus: nam hi & vesicam iuuabunt. Quòd si sitis vrgeat, intermittet aliquando puluerem suprà scriptum, & vtetur zaccharo rosaceo. Victus rationem eam obseruabit, quæ illi aliâs à Medicis præscripta est: & si quid in ea mutandum erit pro ratione temporis, & dispositionibus corporis, mutabit id consilio præsentis Medici, qui in eo loco doctus nunquam propter vicinam Lucam desiderari solet. Sunt multa remedia insignia alia ad istum morbum pellendum, quæ aliâs libens suppeditabo, si opus fuerit. Hoc tempore ea, ne longior sim, subticeo, sperans hunc honestum virum omnino his aquis naturalibus curatum iri. Quod vt fiat faxit ille, qui medicinam in vsus nostros creauit.

Luguduni.

* *
*

Consi

Informatio affectuum aliquot nobilis fœminæ Launduneæ, Ad Rein. Solenandrum.

ILlustris quædam domina annum agens trigesimum secundum, natura biliosa, parua statura, corpore satis gracili, vt biliosam decet, post gemellorum gestationem, qui me iudice (aderam enim cùm infantes in lucẽ emitterentur) superabant matrẽ & pondere & mole. Ab eo partu semper fuit vexata varijs & grauißimis artuum doloribus, aliarúmque partium, eóque potißimùm tempore quo vterum gestabat. Peperit enim bis ab eo tempore, duas filias, quæ adhuc extant, & fecit abortum trium vel quatuor, habuítque ferè semper appetentiam deiectam. Sed post annum ab eo gemellorum partu torquebatur scyrrosis quibusdã tumoribus circa vterum, qui tactu comprehenduntur, subiacentibus ei dextræ & sinistræ parti spinæ, quæ est iuxta septum transuersum, ea parte qua iecur septo colligatur vsque ad renem dextrum vel paulò inferiùs. Hæc Domina postquàm varijs, & ferè innumerabilibus remedijs à peritißimis, atq; excellẽtibus Medicis toto penè lustrato orbe, frustra est vsa, catharticis inquam, venarum tunsionibus in multis corporis partibus, de coctis ligni Indici, & rad. Chinæ (qua non vt voluit vsa est) quòd ad nos non nisi cariosa &

marcida adferatur, nec in ea copia quam expostulamus) balneis, suffitibus, malagmatis, ceratis, emplastris, inunctionibus, alijsq; huiusmodi remollientibus omnibus, & anodynis: modò ad te tanquam ad sacram anchoram refugit, cui solùm sperat, morbum quo crudelissimè vexatur, debere cedere. Talem enim de te concepit spem; vt si per vires, longam distantiam, temporúmque iniuriam liceret, ad te expeditissimè aduolaret. Intereà te obnixè rogat, velis ad illam tuum super ea re iudicium ferre, atque si quid apud vos est noui mittere, quo si à morbo non omnino fuerit libera, saltem morbi summa acrimonia & vis obtundatur, ac mitescat. Vale.

Consilium decimumnonum in arthritide & tumore scyrrhoso circa vterum, pro nobili muliere Laudunæa datum ad præcedentem informationem, ad Abbatem D. Ioannis Laudunæi.

QVæ ad me perscripta sunt de affectibus nobilis mulieris consanguineæ tuæ, Reuerendissime Abbas, illa quoque non sunt eo modo explicata, vt de illis solidum iudicium ab absente ferri queat. Etenim non satis est scire

ſcire, illam articulorum doloribus ſtatim à partu gemellorum cruciatam eſſe: quandoquidem aſcribere decebat, quid illa interim dum vterum gereret, perpeſſa fuerit: quid in ipſo partu: quid item ſtatim à partu. Deinde cuius naturæ, & conditionis ſint hæ arthritides, an ab humore calido vel frigido. A calido eſſe, poſſet inditium dare, ipſius temperamentum (vt ſcribitur) bilioſum: at refragari videntur tumores ſcyrrhoſi, quos ſcribunt ei eſſe circa vterum, qui non poſſunt ex alio quàm frigido eſſe humore. Hæc mihi magis ſuſpicionem mouent: quia quæ ſcribuntur in curationem adhibita eſſe, non omnia mihi videntur inter ſe conuenire: quod ſanè in vno, & eodem morbo planè neceſſarium fuerat, ſi ex vſu eſſe deberent. Verùm quomodocunque ſit, ego paucis expediã, quid mihi de morbo non cognitæ mulieris, quídque de curatione eius videatur. Labo. at articulorum doloribus (nam de his potiſsimùm loquar) quibus affligi cœpta eſt, ſtatim à difficili, & laborioſo partu. In arthritide duo potiſsimum conſiderari debent, articulorum imbecillitas ſcilicet, & humoris ſuperflui & excrementitij in corpore copia. Humor hic plurimum colligitur, vbi concoctiones fruſtratæ ſunt. Partes extremæ & articuli, vario modo fiunt imbecilli, vel quòd motu & exercitio ſolito deſtituantur: vel quòd non concoquant, vt cæteræ

partes suum alimentum: vel quòd princeps in corpore pars, cerebrum scilicet patiatur, qua cum nerueæ partes & iuncturæ habent aliquid commune: vel ob simile aliquod, quod non opus habeo hîc explicare. Hæc nobilis mulier nisi planè fallor vtrumque passa est. Etenim quantùm coctiones ventriculi labefactentur, compatiente vtero, videre facile est, in primis concepti fœtus mensibus, quibus solent pica dicto symptomate affligi. Quantum verò cerebro, facile percipi potest ex vteri affectibus, maximè eius suffocationibus, in quibus ferè semper sensum & motum omnem afflictæ mulieres amittunt. Cùm igitur hæc nobilis matrona grauiter ex vtero passa sit, & malè habuit in tam graui & inconuenienti partu, mirum non est, cerebrum egregiè passum fuisse, & inde omne genus neruosum, & quicquid ad eos pertinet consortij lege mirè debilitatum. Nec minus est præter rationem, ventriculum concepisse summam, ex frigiditate cum humore, imbecillitatem: quapropter primæ concoctiones labefactatæ non potuerunt corporis commodum alimentum suppeditare. Etenim iam receptum est à medicis, vitium prioris coctionis à sequenti non corrigi neque emendari. Hinc cœperunt & tempore vteri, & post partum multa excrementa in corpore colligi: & postea imbecillæ atque eneruatæ iuncturæ superfluum onus natura expellente à partibus princi-

pibus, recipere: vndè arthritides ortæ, artuúmq; dolores. Quòd autem hæc ita se habeant, experientia facilè comprobat, & autores celebres docuerunt. Etenim Hippocrates ante omnes lib. 6. epid. parti. 4. Apho. 3. similẽ ferè casum describit, in quadam colici dolorem patiente: atq; ego eundem planè obseruaui aliâs in muliere Pisana Hetrusca, quæ athritide ferè semper laborabat, quando à coli doloribus libera esset: & vice versa cessantibus coli doloribus, miserè ex iuncturis afficiebatur. Auicenna etiam manifestissimè hoc ipsum docet fen. 22. tract. 2. cap. 5. Item intelligere illud videtur fen. 16. tract. 3. cap. 6. Videtúrque ex eo grauius aliquod malum euenire posse, vt videre est apud Auicennam loco citato, & Paulum Aegin. lib. 3. cap. 43. Quòd si ex coli doloribus tam graues morbi primam originem ducunt, quid timeri debet ex vteri affectibus, cuius affectus maximè stomacho, & cerebro consentiunt, cùm tamen in coli doloribus minus hoc eueniat? Taceo interim quod vteri affectus, & difficiles gestationes & partus haud dissimiles sint longis & difficilibus morbis, qui solent sæpe arthritidis causa esse, referente Auicenna fen. 22. tract. 2. cap. 5. partim quod plurimi superflui humores collecti in corpore contineantur, qui neque ab arte, neque a natura expelluntur: partim etiam quod multi posteà præter opinionem ingenerentur: quia omnes co-

ctiones in his corporibus labefactantur, & calor naturalis (opifex omnium in corpore nostro operationum) dissoluitur: cuius diminutio promptiùs in ijs partibus persentitur, quàm in internis, quæ & natura sua frigidiores sunt, & exangues quasi, & quòd longissimè à primo caloris fonte, hoc est, corde, dissideant.

Quod autem hac ratione in nobili muliere hæc ita acciderint, facile consequi possumus & colligere ex continua appetentia deiecta, & imbecilla ventriculi coctione, atque ex tumoribus ijs duris, scyrrhosis, qui elapso primo post partum anno circa vterum enasci visi sunt: etenim & illi frustratam coctionem, & nutritionem accusant. Verùm quo in loco propriè sint hi tumores, ego sanè intelligere ex scripto non possum. Nam si circa vterum esse debent, vt scribitur: profectò non potest ea duricies esse circa septum transuersum, vbi ei iecur colligatur: quod etiam scribitur. Quare necessarium foret, aut nobilem hanc mulierem præsentem videre: aut aliter multò explicatiùs, omnia quæ ad corporis eius constitutionem, & morborum dispositiones pertinent, trãscribi. Tamen quomodocumque se res habeat, placet paucis quæ mihi videantur facienda explicare. In arthritide duo consideramus, partium imbecillitatem, & humoris superflui in corpore copiam. Imbecillitas partium tolletur

potissi

potißimùm, si prospiciamus vt transmissum sibi peculiare alimentum concoquãt. Concoquẽt autem, si in illis naturalis calor excitetũr solùm, nõ dißipetur, dissoluatúrve. Excitabitur, si mediocriter exercitentur, ne otio ignauo, situ quodam, & quasi rubigine obducãtur. Exercitabuntur lenibus frictionibus, deambulationibus mediocribus. Item corroborabuntur, si seruentur, ne aut vligine, vel superfluo humore externo, vel sudore nimium madescant. Item si eluantur aliquo liquore, vel illinantur, qui roborandi, & astringendi mediocriter, cum leni discutiente, facultate præditus sit. In hunc vsum extra paroxysmum velim partes externas lauari lixiuio meraciori & vino, æqualibus partibus, vel aqua chalybeata, incoctis floribus rosarum, stœchadis, camomillæ, & sale, vel id genus alijs, idque frequenter. Deinde abstersas illini oleo rosaceo, omphacino, dissoluto in eo largiore sale, & egregiè intrito: vel oleo incoctis malicorio et sale. Si paroxysmus præsens fuerit, & doloribus artus lancinẽtur, si is fuerit in principio, debent adhiberi quæ repellant, quæ interim dolores nonnihil sopiant, ne eorũ acerbitate humores in corpore moti, eò ruant, vel præcipitentur. In eum vsum scriberem singularia, & mihi expertißima remedia, si mihi scripto tuo fuisset explicatum, qui & quales humores illaberentur: nam pro varietate eorum, hæc debent

omni-

omnino variari. Consulo etiam, vt viæ, per quas humor illabitur, astringantur: nimirum si in pedibus dolor est, obuoluatur crus aliquo astringente medicamento qualicunque. Exempli gratia, fascia madefactata in posca quæ malicorium incoxerit, vel gallas, aluménve dissoluerit: vel illita vnguine ex rosaceo vel myrtino oleo, admixto aceto, albumine oui, & puluere aliquo astringente. Hoc quanti momenti sit in omnibus desluxibus, si sint in principio vix credi potest: quare miror hoc tempore ferè à plerisque Medicis omitti. In principio etiam munita hoc modo via, per quam labitur, exhibere soleo magno successu aliquod purgans medicamentum pro ratione humoris: doctus primum ab Alexandro Tralliano lib. xj. cuius opinionem etiam ex Galeno comprobare possum, licet à multis hoc tempore reformidetur: quasi quæ exagitata sit, non amplius moueri debeat, materia, ne magis magísque in partes imbecillas labatur. Cùm tamen eo tempore fluens illa materia, haud sit furienti vel turgenti dictæ ab Hippocrate dißimilis, quam, primo & quarto aphorismorum libris, iubet nulla interposita mora euacuari è corpore. Sanè si nulla alia ratione, conueniret, saltem reuulsionis, & aliquando deriuationis vices sustentaret: quapropter & si vomitus solicitaretur, non improbarem.

Transa

Transacto principio iam dictis astringentibus remedis aliquid admiscendum, quod paulatim discutere incipiat illapsum humorem. Declinante deinde malo cæteris omnibus reiectis, his solis agendum: videndum tamen diligenter, ne eorum vis, quod aqueũ est in humore exiccet: & quod tenue discutiat, relicta craßiore materia: vt subinde obseruamus ab Imperitis fieri, solùm quæ discutiant applicantes, nullo emolliente vel incidente admixto. Scriberem particularia in ea re, neque inepta remedia, si me certiorem de natura influentis humoris fecisses. Nolo tibi hoc ignotum, me hîc feliciter vti, solo & simplici diachalcitide, cuius facultates videre potes apud Galenum lib. j. de comp. med. secundum genera. Hoc illitum super alutam applico iuncturis, quæ pati solent, atque iubeo vt continuò applicitum circunferant, sub noctem auferentes, si lubet, & exiccantes, mane reponant. Testórque hîc Genuenses esse prædiuites mercatores, quibus aliâs cùm soleat esse res cum podagra, iam se huius vsu integrum quinquennium liberos reddiderunt. Atque hæc obiter de partibus affectis & imbecillibus dicta sufficiant. Restat alterum, & ferè potißimum caput, vt prouideatur ne humores superflui & excrementa in corpore generentur, quæ natura queat subinde in artus præcipitare. Profectò vt hoc

obtẽ

obtineamus, summa cura habenda est, vt ritè fiant primæ in visceribus coctiones, tam ea quæ in cibo fit in ventriculo, quàm illa quæ fit in generatione sanguinis in hepate potißimùm. Quod facilè fiet, si viscera coctionibus destinata roborentur: si intemperies, siqua in illis est, tollatur, si caput: modo defluxus materiam suppeditat, exiccetur, roboretúrque tam ijs quæ intus assumuntur, quàm quæ exterius varijs modis applicari solent. De quibus omnibus nihil ego possum explicatiùs scribere, quòd ea absens, scripto tuo minimè explicata, diuinare haud possim. Non ingenerabitur etiam superfluus humor, & excrementitius, visceráque meliùs suo fungentur munere, si obseruatum fuerit, quoad eius fieri potest, diligentißimè, ne delinquatur in sex illis rebus à Medicis non naturalibus dictis, in cibo & potu, aëre, motu & quiete, animi affectibus, somno & vigilia: & in ijs retinendis in corpore, quæ retineri secundum naturam decet, & expurgandis illis quæ debent excerni. Quapropter consultum fuerit (nam in imbecillo corpore & malè constituto fieri non potest, quin paulatim aggregentur excrementa) certis & debitis temporibus quædam exhibere, quæ sine naturæ molestia possent huiusmodi è corpore educere. In cæteris omnibus obseruandus ordo, modus, tempus, quantitas, qualitas, & id genus similia.

Exin

Exempli gratia. Cibi & potus quantitas, assumi debet, quæ à vẽtriculo ferri, amplecti, & sine difficultate concoqui poßit, ea qualitate quam requirunt peccantes in corpore humores, & affectarum partium dispositiones. Ordine, vt præcedant cibi faciliorus coctionis ijs, quæ difficiliùs concoquuntur. Tempore quo natura requirat. Eo modo quo præsenti Medico visum fuerit. Et sic in reliquis, quæ latius explicare non possum, quia affectuum in hac nobili muliere naturam ignoro. Iam pauca quædam subiungam de scyrrhoso tumore, de quo scriptum est, qui quo in loco sit, intelligere non possum: nec quousque ipsius natura peruenerit, & progressa sit: an sentiat, an sensus expers, an intus in corpore lateat, an superficiem corporis contingat. Quod si exteriùs palpitari, & comprehendi valet, velim ego hæc adhiberi. Principio fomentari locum spongia in decocto madefacta, quod factum fuerit ex quatuor part. rad. altheæ, & duabus part. rad. cucumeris asinini, incoctis lixiuio: vel si insignior duricies fuerit, iuri carnium pinguium, addito pauco aceto. Locus deinde fotus comprehendatur ceromate hoc modo composito.

℞. diachilon ℥ j. Mucaginis radicum altheæ, mucilag. s. lini ana ℥ iij. olei liliorum alborum ℥ vj. Ammoniaci, Galbani, Edellij dissolutorum in aceto

ana ℥ ij. Pinguedinis anserinæ, medullæ cruris vituli ana ℥ j. Thuris ℈ ij. lumbricorum dissol. ℥ s. Emphorbij ℥ s. cum cera q. s. fiat cerotum applicandum supra alutam loco affecto, si scirrhosus affectus exteriùs contingi potest. Postquàm aliquot dies vsa fuerit & fomento & ceroto præscriptis & reiteratis, sollicitabit locum affectum suffitu excitato ex aceto acerrimo, quod incoxit satureiam, affuso pyritidi candenti, vel molari lapidi: sed pyrites præstiterit, dummodo non fuerit plumbarius: nam hic multùm obfuerit. Atque hæc reiteratis vicibus facienda, prout præsenti Medico visum fuerit, qui hoc vel illo tempore partem inuenerit aut minus duram vel molliorem solitò, aut magis minúsque tumentem. Hæc sunt quæ mihi obiter scribenda videntur ad eam informationem quæ ad me missa est, quòd si vberierem omnium explicationem, & in singulis quibusque remedia exposcis, facies vt de omnibus ad amußim certior fiam: dabo operam vt agnoscas mihi neque diligentiam, neque voluntatem in ea re defuisse. Cura valetudinem tuam.

Lugduni.

Cons

Consilium vigesimum in athritide, & nephritide, ad Magnificum ciuem & mercatorẽ Nurnburgensem.

QVibus vsus es Medicis, vir integerrime, & quorum scripta mihi ostendisti, tam exactè constitutionem corporis tui omnem & naturam, causas, effectus denique valetudinis tuæ cognita descripserunt, tam diligenter & amicè ipsius curationem instituerunt, vt quicquid in hanc rem operæ mihi conferendum sit, non immeritò conferri frustra existimari possit. Quod licet ita se habeat, tamen potius quàm tuæ voluntati desim (qui voluisti etiam nonnihil consilij & auxilij me in salutem tuam conferre) illa eadem a doctißimis Medicis asserta describam, descripta rationibus quibusdam, sententiáque mea confirmabo. Quibus etiam adiungam remedia nonnulla quorum vsu curationem præsentis mali vel præseruationem futuri faciliorem, expeditioremque futuram confido: id quod omni studio & labore pro meo munere toto mortaliũ generi præstare debeo: sed prætereà pro tuis in me officijs & humanitate omni contentione animi, & industria, quoad eius fieri potest, singulari, vitæ tuæ & valetudini quàm maximè consulere, in eóque amantißimi hominis numeros explere omnino paratus sum. Quatro-

pter nonnulla paulò exactiùs, quàm antè scripta
sunt, explicare conabor, & affectus quibus ali-
quando detineris non solùm præseruationē, præ-
scribere, sed etiam curationē præsentis mali edo-
cere. Quod vt exactè fieri queat, primū vtriusq;
natura explicanda venit, causæ quærendæ, effe-
ctus inuestigandi: nam sine horum cognitione
præseruatio institui non potest, multò minus cu-
ratio tradi. Naturalem constitutionem, princi-
pium partium, earumq; temperamenta, ex qui-
bus totius corporis temperatura (quam comple-
xionem vocant) resultat, nolo hîc longiùs ordine
prosequi: quòd partim id præstitum est à Medi-
cis, partim obiter aliquid à me de ijs dicendum
erit, quando causas horum affectuum sum per-
uestigaturus. Vt igitur ad rem veniam. Duo
sunt quæ te potissimùm male habere solent, quo-
rum quod molestius est, defluxus est humorum
ad iuncturas, qui cùm non solùm pedis infe-
stet: sed & genuum, cubitorum, & manuum
articulos molestare interdum soleat, non po-
dagra affectus nuncupandus est, non aliquo
alio speciei nomine: sed generis, arthritidis
scilicet, hoc est articularis morbi nomen sibi
vendicat, dicente Galeno 3. Aphorismo-
rum com. 16. Quod scilicet multos simul cor-
poris articulos dolor infestat ex defluxione
humorum ortus. Alter affectus est nephri-
tis, quo nomine licet omnes renum affe-

ctus

ctus nuncupari poßint, intelligimus tamen propriè calculi dispositionem in renibus, vt videre est in lib. de affectib. renum, cap. 6. Hæc etiam suos paroxysmos habet, & exacerbationes grauißimas, pro magnitudine causæ morbi, eiúsque motione. Horum causas inuestigabimus, quibus cognitis, quid sperandum de vtroque sit, & vt cuilibet occurrendum, facilè constare poterit. Quandoquidem arthritidis causam ex fluxione esse diximus, consideranda fluxionis natura, ad cuius constitutionem quatuor necessariò concurrunt. Nam considerari debet membrum generans, & mandans humorem, aliud recipiens eum, materia item quæ fluit, & via per quam ea à mandante in recipientem præcipitatur. Quæ omnia necessariò concurrunt in omnibus affectibus ex fluxione ortis. Iuncturas in tuo corpore fluxione tentari satis constat, sed quæ materia, & vbi ea generetur, & quâ fluat, non ita patet. Qui vnquam vidit artuum inte tumores, qui cætera cognouit, facilè agnoscit materiam defluxus pituitosam esse, habere tamen nonnihil admixti biliosi sanguinis. Patet hoc facilè ex tumore, qui colore ex albo rubet, non admodum vt sanguineus, aut biliosus calet, non tam ingentes, acerbósque infert dolores, non tam promptè

vt illi resoluitur, & euanescit, sed perseueran-
tius perdurat, satis secundum quantitatem eius
humoris tumet, nocte magis exacerbatur, indi-
cium frigidioris humoris prædominantis: post
declinationem reliquit aliquid nodosi in digitis,
quod neque ex bile, neque simplici sanguine
fieri consueuit: sed ex humore viscido, cras-
so, & crudo, qualis pituita est. Cætera omnia
respondent. Huc accedit quod Hippocrates quo-
que lib. de morbis, omnem articularem morbum
ferè ex confusis simul pituita & bile fieri credi-
dit. Hanc naturam esse defluxus, quam dixi-
mus, etiam facilè nobis ostendere possunt causæ
producentes eum & amandantes. Nam si quis
diligenter considerat ventriculi tui & hepatis
temperamentum, facilè agnoscit, eorum opera
plus sanguinis quàm constitutio tui corporis
opus habeat, licet crudioris, & imperfectè
præparati, in te generari: quem cùm natura ne-
que satis conficere poßit, neq; consumere, ipsius
quantitate potius grauata, quàm nocente qua-
litate incitata, eum ad imbecilliores partes
præcipitat: ad quod etiam non parum facit caput
tuum defluxionibus mirum in modum obno-
xium. Humor hic naturam grauans, certis suis
temporibus non solùm agitatus facilè in artus
præcipitatur, sed etiam propter ipsorum imbecil-
litatem promptè recipitur. Nam inferior positus,

iuncturarum laxitas, resolutæque earum vires, propter antecedentes mali accessiones, tum etiam à parente tanquam per propaginem ingenita in articulis vitiosa qualitas, abunde sunt (si nulla alia exterior vnquã accessisset mali causa) ad eam imbecillitatem ingenerandam. Consentit etiam viarum ad fluxum aptitudo, nam propter naturam lubricam humoris qui fluere statuitur: ob vasorum communium amplitudinem, totiúsq; corporis miram laxitatem, promptißimè agitatus (natura expurgante) illabitur, vt hac ratione ad vnam omnes fluxionis causæ huc concurrere videantur. Quas si strictioribus limitibus cogere velis, ad duas rediges, ad iuncturarum, & artuum scilicet imbecillitatem, atque superflui & superabundatis humoris in corpore copiam: quorum si vna desit, impoßibile est, vt vnquam arthritis exagitet. Nam si imbecillitas est artuum non præsente humore, qui influat, & qualitate noceat, vel quantitate grauet, erit quidem quoddam motus impedimentum, at nullus tumor, nullus dolor. Contrà si iuncturis robustis ingenitus sit nocens humor in corpore, potius quemuis alium morbum excitabit quàm hunc. At eo, in corpore genito, & partibus extremis imbecillis, omnino onerentur hæ necesse est, dum expultrix principum partium vegeta fuerit: etenim in ea re fit vt solet in Rebus publ. Quicquid delirant reges plectuntur

Achiui: quod principes in ciuitate viri & primates committunt erroris, & delinquunt, ferè in plebem, eámque infimam solet exonerari, pellentibus à se robustioribus, & imbecillis resistere non potentibus. Verùm qua ratione & quo modo ingenerentur humores illi; & partes imbecillæ fiant, iam ferè dictum est, & sunt præterea causæ externæ aliæ præincipientes dictæ, quæ plurimum momenti ad hanc rem adferunt: nam errores commissi in sex rebus non naturalibus à Medicis, dictis, mirùm quàm officiant. Nam incauta & dissoluta victus ratio, qua subinde regionis more, & patriæ consuetudine vteris, largam defluxus materiam, & maximas cruditates suppeditat. Venus etiam si non frequens saltem intempestiua, plurimùm fecit ad vtramque causam. Exercitia item intempestiua, vt frequentes equitationes: & his adhuc magis nimium & longiùs posteà interpositum otium, & crudos humores multos generant hæc, & illa in corporis habitũ genitos raptant. Nihil dico de excremẽtis quotidianis suppressis subinde: nihil de cæteris omnibus, quæ partim artus debilitant, partim humoris qualitate, vel quantitate nocentis copiam ingenerant.

Quod ad nephritim attinet, non opus habeo longius oratione prosequi ea quæ consideranda veniunt. Etenim ferè eædem causæ sunt huius, quæ arthritidis: quare vt plurimũ qui alterutro

ſubiectus eſt, alterum vix effugere poteſt: nam ferè vterque hoſtis eundem affligit: atque hoc etiam commune habent, quòd vterque quaſi hæreditario iure per propaginem ex parentibus in filios innaſcatur, quemadmodum videmus tibi etiam accidiſſe. Tamen hoc certo conſtat, multos eſſe qui nephritide conflictantur, & tamen articulorum doloribus non ſunt ſubiecti: paucos verò arthritide affici, vt obſeruatum eſt, qui non in renibus calculum etiam ingenerent. Quandoquidem materia vtrique ferè eadem, maximè in tuo corpore: at efficiens cauſa, vt etiam ipſe locus affectus, differt. Nam non ſatis eſt vt ſit in renibus imbecillitas quæ in articulis, qua ratione ſuſcipiant humorem nocuum: ſed neceſſarium eſt vt etiā calor illorum accedat, qui humorem illapſum cogat, exurat, denſet, ac tenuiore ipſius parte reſoluta, tanquam in fornace percoquat. Etenim licet in rebus externis obſeruemus lapides tam frigore quàm calore denſari: tamen certum eſt frigore hoc fieri ſummo, quod in nobis ſanè viuis tantùm eſſe nequit, vt lapides generet: quare ſolùm calore fieri certum eſſe debet: atque in hoc differentia eſt, quòd articuli qualemcunque influxum cuiuſcunque humoris excipiant, ferè frigidi ſunt: at renes calculum ingenerantes calidos eſſe vel proprio vel accidentali, vel

vicinarum partium calore necessarium est. Hoc calore renum excepto (qui efficiens calculi causa est) omnes illæ causæ quas in arthritide numerauimus, in nephritidis generatione noscuntur, sic in te eandem videmus vtriusque affectus materiam, atque easdem illam generantes causas, quod liquidò satis constat ex colore arenularũ quas expurgatas in vrinis sæpe & multùm, potißimum post renum dolorem ostendis. His ita constantibus, facilè clarum esse potest vnicuique grauißimos esse morbos hos, & perdifficiles, cùm quòd ex propagine in te geniti sint, tùm quòd tam multos annos afflixerint. Vterque tamen licet omnino curari perfectè haud poßit, quin aliquando molestus sit, tamen præcaueri potest ne tam grauiter, & tam frequenter affligat: & vis item corporis valida retineri, artuum collapsa instaurari: morbosarum verò affectionum infringi valet. Neque hoc in dubium vocari debet, quasi morbi incurabiles sint: nam sæpe & multùm ita præseruari visa sunt corpora, vt quasi perfectè curati morbi hi, non ampliùs afflixerint. Videre est hoc paßim apud Medicos, maximè Galenum libro de theriaca. item 4. aphoris. Et lib. quos & quando purgari oportet, & alijs plerisque in locis. Obseruauimus itẽ multos cura & diligentia liberos se reddidisse, hos quòd abstemij facti essent, illos quia venerem omni

omnino posthabuissent: nonnullos quòd vsi essent continuo hoc aut illo medicamento: quosdam quia hunc aut illum cibum tanquam noxium vitassent, exercitióque plus solito & labori indulsissent. Quare sedulò opera danda est, quo ab his praeseruari possis, vel si id omnino (quia viuendi ratio vobis est incautior) consequi non valemus, saltem curandum vt à quolibet paroxysmo morbi, & citò & tutò liberari valeas. Quod qua ratione fieri queat considerandum. Articularis doloris causas diximus esse partium imbecillitatem, & humoris pituitosi superabundantem copiam in corpore genitam, & in iuncturas defluentem, quae ambae tolli debent, aut saltem earum altera auferri, si praeseruari ab hoc morbo velis. Pituitosi humoris, & crudi sanguinis copia ne generetur, efficies victus ratione strictiore, & ijs omnibus assumptis quae & in ventriculo, & in hepate laudabiliorem efficiunt coctionem. Quare fugienda summopere omnis repletio tam cibi quàm potus: quòd illa sit potissima omnium affectuum in corpore tuo causa. Nimium item & in longum tempus productum otium: quod non solùm pituitosum sanguinem procreat, sed partes etiam corporis extremas eneruat, iuncturásque internas mucco quodam & situ, quasi rubigine, obducit. Saluberrima ea Hippo-

cratis regula, tibi maximè obseruanda, quæ 6. Epid. docet, præcipuum sanitatis studium esse non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. Abstinendum quoque à cibis crassi, viscidi, & multi nutrimenti: à vino copioso & generoso, quòd neruos mirè afficiat, & facilè humores in articulos præcipitet. Compotationes intempestiuæ omittendæ: illæ enim & cruditates multas generant, & fluxiones excitant. Veneri mediocriter, sed somno non multùm indulgendum. Familiares excrementorum vacuationes quotidie procurandæ. Non opus habeo hîc latiùs alia omnia prosequi, neque particularem omnem victus materiam enarrare, quia illa passim à Medicis omnibus instituuntur, & ferè vulgò sunt nota. Humore iam in corpore genito alia ineunda ratio, nam euacuantibus auxiliis agendum, tam iis, quæ sensibiliter & manifestò euacuant, quã illis quæ humorem consumunt insciis ferè nobis, & quasi aliud agentibus. Quæ insensibiliter vacuant corpus, & humores consumunt, mihi valde probantur: quandoquidem corporis vires nõ turbant, nec labefaciunt: vt quæ paulatim sine agitatione procedunt, qualia sunt exercitiũ largius, cum parciore victu, inedia potissimum. Balneum item seu hoc vapore solo fiat, seu lotione maximè in aliqua aqua medicamentosa. Verũ quæ subitò, & affatim corpus exone-

rant

rant, vt commouent paulò plus corporis vires, sic maiore euidentia & cum fructu euacuant. In horum numero sanguinis missio, & purgatio primum locum obtinent, quæ vtraque tibi certis tẽporibus mirum proficua iudico. Nam cùm constet te hepate esse calido & humido, ventriculo satis temperato progeneras plus sanguinis quam natura opus habet, vel possit consumere: quapropter mirum in modum tibi consulo, vt his primis & proximis annis, dum nõdum senium attigisti, procures eius quantitatem minui, tam aperta vena primùm, quã posteà exhibito medicamento purgãte, vt natura refocillata quasi ab onere, laudabilius operationes suas perficiat, nec vllam ansam habeat grauata humorem qualitate vel quantitate nocentem ex corpore in articulos amandandi. Quòd autem vtroque opus habeas, facilè intelligit, qui antedictorum meminit. Nec existimandum est sanguinis missionem non conuenire, quod is crudus sit: quod quidam arbitrantur ex Gal. lib. de sanita. tuenda. Nam id intelligi debet, vbi sanguis crudus est, sed paucus: nam tum inedia & concoctionem promouentibus facilè restituitur. Vel accipi debet vbi multus sanguis eo modo crudus sit, vt longissimè à sanguinis natura distet, & seiunctus sit: nam tum potius purgatione opus fuerit & inedia. Verùm in tuo corpore

abun

abundat sanguis, neque is tam crudus est vt multum à sanguine differre dici posit: quare diminuendus venit, maximè cum frequenti experientia nobis constet ea euacuatione plurimos se liberasse ab id genus morbis. Ad quod accedit Galenum etiam frigidos multos morbos sanguinis detractione curare. Quo tempore hoc remedium adhiberi debeat, quomodo, qua quantitate, & ex qua vena potissimùm administrari conueniat, dicemus: Tempus aptissimum designauit Hippocrates 6. Aphoris. & post eum Gal. in lib. quos & quando purgare oporteat. Illi enim vernum tempus indicant, quod eo tempore sponte sua humores moueantur, qui praecedente hyeme & plures geniti sunt, & pauciores absumpti. Item quòd tunc aëris qualitas mediocris hoc genus remedij admittat: necnon quòd eo tempore imminentium morborum periculum nos sollicitet. Quandoquidem dicente Hippocrate 6. aphoris. 55. dolores podagrici Vere, & Autumno magna ex parte mouentur. Quare vtrumque tempus anteuertere oportet, hoc sola purgatione: illud & sanguinis detractione, & deinde purgatione. Consultum igitur fuerit in fine februarij, aut Martij principio eis auxilijs vti. Et si fortè aër fuerit inclementior tum temporis, continere se in cubiculo decet temperato satis, vel hypocausto: cuius tamen calorem, si temperiem excesserit, valde suspectum habeo: quòd capita

ſoleat multùm vaporibus onerare: & ſi quæ onuſta reperit, conſueuit illicò defluxus excitare: vnde qui non aſſueuerunt continuo capitis doloribus præhenduntur. Modus quo debet fieri, hic eſto priuſquàm vena aperitur, biduum ante, vel præcedenti die velim ventriculum, primáſque circa viſcera venas, hoc ſequenti electuario expurgari, ne ex his vt fieri ſolet crudi humores in hepar & habitum corporis à ſanguinis miſſione trahantur.

℞. diacatholic. ℥ vj. Diaphœnici ℥ j. Specierum Hiere S. Gal. ℥ j. s. mixtis omnibus fiat bolus cum zacchar, detur obuolutus auro, vel hoſtijs vocatis, madefactis vino, horis tribus ante cibum. Sequenti vel altera die aperiatur vena. Quæ verò aperienda ſit vena potiſsimùm, videndum. Nos ſolùm hoc remedio quærimus vniuerſi corporis euacuationem, quare ex qualibet ſe offerente vena adminiſtrari poſſet. Verùm quia natura ſe potiſsimum in pedes exonerat, ne eò trahatur materia, ex ipſorum venis ſanguis demendus non eſt; licet renum affectorum, & calculi ratione ex vſu foret. Prætereà cùm alterum brachiū magis altero chiragra laboret, debet aperiri in minus affecto brachio (quod ſi rectè memini dextrum eſt) vena media: nam ex hac & corpus vniuerſum commodè euacuabimus, & à magis affectis partibus quaſi deriuando reuellemus. Quantitatem extrahendam

indicio præsentis Medici relinquere decet: nam ea ab absente non potest commode determinari. Non enim semper, & singulis annis eadem esse debet: sed pro quantitate humorum, & qualitate cruditatis si non ratione firma, saltem docta coniectura præsens Medicus aptè præscribet. Euacuato sanguine etiam expurgandum venit corpus à serosis, & craßis, viscidisque humoribus, quorum est in tuo corpore non exigua quantitas: quemadmodum ratione cognouimus, & subinde in expurgatis excrementis, & sanguine proximè detracto obseruauimus. Quæ cùm difficulter medicamentum sequantur, nō mihi consultū videtur vno & solo medicamento vehemētiori eos mouere, & ad eductionem solicitare, sed mitiore aliquo sæpius reiterato, quod præter expurgandi facultatem habeat etiam vim præparandi humorem ad eductionem faciliorem, nimirum incidendi, aperiēdi, viscera roborandi, &c. Placeret mihi hoc quod subscribam, cuius vsum in simili dispositione proficuum experientia non raro inueni. ℞. Cichorij integri, melissæ, Betonicæ, Agrimoniæ, Chamæpityos ana m j. Cornu cerui vsti. Coriandrorum præparatorum ana ʒ vj. Liquiritiæ ℥ s. Passul. p. j. S. anisi ʒ ij. Polypodij quercini ℥ j. s. coquātur omnia secundum artem ad ℥ xvj. coletur, clarificetur, in qua infunde fol. senæ ℥ s. Soldanellæ ʒ iij.

Myrobal

Myrobal. Kebulorum ʒ vj. Citrinorum ʒ ij. Rhab. electi ʒ j. s. Cinamomi ʒ ij. per noctem, manè coletur, & seruetur pro dosibus quatuor vel quinque addendo ad singulas doses Syr. ros. sol. ℥ j. vel plus, minúsve pro ratione corporis, & facili tolerantia, promptáve solutione. Eodem modo putarem expurgandum corpus Autumno, declinante feruentiore æstu: tamen sanguinis detractionē tum omitti velim, sed sequenti purgatione corpus sollicitari.

℞. Decocti suprascripti addendo acetosam, cetrah, & pruna, clarificati lib. j. s. in quo infunde Hermodactylorum ʒ ij. Mirobal. Kebul. Indorum. fol. senæ ana ℥ s. Epithymi ʒ ij. Rhab. ʒ j. Cinamomi ʒ ij. per noctem, manè coletur, & cum zaccharo ros. tabulato fiat Iuleb pro quatuor dosibus vel quinq;. His purgationibus velim vtaris tempore, & modo præscripto, & si aliqua in ea re difficultas fuerit, aut quid post paucos annos videatur mutandum, hoc præsentis Medici iudicio & diligentiæ permitti debet. Verùm hoc modo expurgato, & euacuato corpore, restat vt quicquid reliquū est in corpore crudorum humorum concoquatur, serosorum absumatur, & tam mandatia, quàm recipientia membra corroborentur. In quo negocio nihil equidem inuenio, quod posſit magis prodesse, & minus noxium esse, quam vsus ligni Guaiaci, maximè adhibita ea victus ratione, quæ hoc tempore in-

stitui

stitui solet : quandoquidem & victus tenuis, vel potius inedia, mirùm absumit frigidos, & serosos humores, crudósque concoquit, & Ligni decoctum quàm maximè eundem effectum producit. Nam lignum hoc, siue primas, seu secundas, vel tertias, vel item quartas dictas facultates eius agnoscis, facile intelligere debes quantùm hoc, in tuo corpore iuuare poßit. Etenim cùm sit calidum & siccum humiditatem hepatis infringit : quia acre & amarum, humores incidit, attenuat, aperit, extergit, sudorem, & vrinam mouet : neque solum hepati gratum est, sed omnia membra roborat, ligat, firmat, & quasi ipsis tonum suum (sic Medici vocare solent) reddit. Quæ omnia cùm videam in tui corporis præseruatione desiderari, non video quare non debeat salubriter administrari. Quapropter author tibi esse volo, vt his primis annis semper aut Februario aut Martio mensibus, statim poſt præscriptam aut ei similem purgationem eo, ad aliquot dies, vtaris, ea adhibita victus ratione strictiore quam diximus. Tempus certum præscribere, neque terminum volo: quandoquidem pro ratione malæ dispositionis, & tum temporis corporis tolerantia metiri debet. Eodem modo victus ratio administrari siue ea fiat largior vel strictior : nam ea arbitrio tuo, docente præsente Medico, relinquenda. Quod idem intelligi velim de formando

mando decocto, seu herbis aut aliis simplicibus medicamentis admixtis, seu simplici. Quòd si meum consilium sequi placet, author sum, vt quàm simplicißimum dococtum assumas, ex lib.j. ligni lima attriti, et lib.xij. aquæ bonæ, quod decoctum sit ad tertias &c. Eodem modo strictam dietam adhiberi velim, & paulò longiùs protrahere eam tũ tẽporis, scilicet in principio Veris, quàm Autumni tempore: quo etiam fortè hæc nonnihil immutari debet, & tempus breuius institui, & paulò alia viuendi ratio præscribi, quàm quæ præcessit Vere exacto. Antiquitus Medici homines sanè eruditi, & ingeniosi, & in artis operibus valde exercitati, solent in his affectibus vti quibusdam medicamentis, quæ illi Podagrica appellare, vel arthritica consueuerunt. Quæ si rectè consideramus ferè hac indicatione composita videntur, vt coctiones tam ventriculi quàm hepatis adiuuent, pituitæ generationem prohibeant, sudorem & vrinam moueant, insensibiliter corpus per meatus cutaneos difflent, obstructiones aperiant, incidant crassos humores, & viscosos abstergant. Talia innumera paßim in Medicorum libris inueniuntur, & ego aliquando expertus sum quædam non infeliciter. Tale est apud Galenum Theriaca in podagra, vt videre est lib. de theriaca ad Pisonem. Eius generis est ille puluis quem prædicat quidam ex Me-

dicis tuis. Verùm in exhibitione horum medicamentorum velim haberi rationem temperaturæ, sexus, ætatis, regionis, & consuetudinis. Huius loco non incommodè mihi exhiberi posse videtur Guaiaci decoctum, quod licet non sit idem cum podagricis antiquorum medicamentis: tamen eandem habet (vt vocant) intentionem, & meo iudicio securius exhiberi potest, quàm cætera vel electuaria, vel pulueres calidißimi: & maiori cum fructu, potißimum adhibita, quæ institui solet, diæta. Interim vtrumque tempus purgationis, hoc est, medio interposito tempore videretur mihi consultum esse, vti aliquando leniori purgante medicamento, quod prima solùm viscera aliquando aggrauata expurgaret. Nam fieri non potest, quin in tuo corpore, in ea victus ratione, multa superflua generentur, quæ nisi paulatim excernantur, vel per artem, vel natura, solent subinde graues hos morbos aggesta paulatim inducere. Quare velim huius electuarij vsum tibi frequentem esse.

℞. Succi fœniculi depurati lib. ij. Mellis despumati lib. j. Coquantur lento igne vsque ad succi cons. Frigefacto adde pul. hermodactylorum ℥ j. s. Misce. dosis castaneæ magnitudine bis terve in hebdomada, cum decocti anisi, fœniculi, carui, senæ, agarici ℥ x. vel ℥ j. s. Huius loco velim

lùm aliquando in ingressu mensæ assumeres cochleare j. mei illius Iulebi quod præsens dedi, & quo vsus es aliàs: quod sæpe in ea dispositione proficuum cognoui. Quòd si eo modo vti nolis, manè assumpto iusculo statim deuorari debet. Medicamentum paucißimis cognitum est, & à paucis solùm in Italia in podagra, & morbo Gallico dicto, & hydrope vsitatum: & iam à paucis mensibus cœpit etiam in Gallijs quibusdam in locis eius vsus esse. Quapropter libenter tibi ipsum componendi rationem præscribã, quæ hæc est. Accipe baccas fruticis illius quẽ Spinum Ceruinum Herbarij vocãt, quem quia plerisque notißimus est, hîc non depingam. Colligantur mense Septembri: nam eo tempore maturuerunt: cõtundantur in pila lapidea, deinde exprimendo percolentur. Succus expressus coquatur lento igne, donec quarta pars absumatur, atque iterum coletur. Excolati huius, & iam craßioris facti succi accipe lib. j. Mellis despumati ℥ viij. coquantur vnã donec syrupi bene cocti consistentiam, aut eo craßiorem acquirant: coctis, & iam propè auferẽdis ab igne, inijce Masticis, Cinamomi, opimi, anisorum ana ʒ j. ℈ ij. & seruetur in vsum. Hac compositione sæpe & multum in Italia in opere Medico sum vsus. Alij accipiunt Succi lib. j. Zacchari ℥ iiij. mellis lib. s. Cinamomi, Anisorum, Nucis moscatæ, ana ʒ ij.

coquunt, vt diximus. Noui alios, qui succi, & mellis ana lib. j. capiunt, inijciunt cinamomi ℥ j. Zingiberis ℥ ij. & ita commiscent. Verum non est multùm in compositione discriminis: ego primam meam optimam sæpe cognoui, quæ cæteris est efficacior. Exhibui aliquando dissolutum vino vel in iure carnium. Et quoniam ferè seorsum humorem educit, & aliqua ex parte biliosum, minus pituitosum, & crassum: posses aliquando interponere ex hac pasta sequenti, assumendo singulis mensibus pondus vnius coronati aurei, conformata in aliquot pilulas: atq; omnibus his temporibus die præcedenti, & sequenti sobrius agere, & victus ratione mediocri vti: aërem fugere intemperantum. pasta pro pilulis hæc esto.

℞. Agarici trochisc. Hermodactylorum ana ℥ j. s. Turbit electi. ℥ j.
Trochiscorum alhandal. ℈ j. s.
Myrobal. chebul. citrinorum ana ℈ iiij.
Rhabarb. masticis, zingiberis ana ℈ ij.
Specierum hieræ. S. Gal. ℥ j. cum melle ros. fiat pasta pro pilulis vtendis vt dictũ est. Hæ pilulæ crassa & viscida recrementa educunt potissimùm. Neque velim à ratione alienum arbitrari, quod tam frequenter iubeã medicamenta deuorari: nam humoris & affectus natura hoc requirũt, & antiquis vsitatũ fuit, vt videre est apud Alexandrum Tral-

lianum

lianum lib. vndecimo. Hoc modo si vitæ rationem institueris, facilè fiet, vt aut nullum aut perexiguum humorem superfluum, & naturæ molestum ingeneres, & si quis ingenitus fuerit, promptè sine molestia exterminabitur: quod si etiam maiore cum molestia fieri deberet, velim tamen potiùs eas molestias subire te sæpiùs, quàm vel semel humorum defluxum in iuncturas excipere. Restat in præseruatione paucis explicare quomodo iuncturæ, vel artus roborari queant. Artus firmabuntur, si in eis naturalis calor excitus, non dissoluatur: si influxus humor (si quis fortè in illis adhuc latet) educatur: deinde intemperies inducta tollatur: & laxitas meatuum in illis densetur, eísque robur addatur. Quæ omnia sanè fient temperato, & mediocri exercitio, semper ante cibum ad hibito, corpore haud pleno, ídque in loco sicciori, siue illud fiat in equo, seu pedibus obeatur. Aduigilandum ne pedes, vel cæteri artus vllo frigore præmantur, aut situ & humore madescant. Abstergendi tam vesperi quàm mane sicciore linteo, vel spongia. Lauandi item singulis saltem quatuordecim diebus aqua chalybeata, salsa, incoctis rosis, saluia, et iua, vel id genus similib. Post ablutionem perungendi oleo rosaceo omphacino, si haberi potest, intrito sale. Possent multa alia addi, verùm hæc mihi sufficere videntur: neque ob id ea in re lon-

gior esse volo. Iam ad præsentis mali curationem veniendum. Quòd si fortè intereà temporis ipse morbi paroxysmus aliquando afflixerit, pro ratione ipsius morbi varia & diuersa agenda sunt. Nam aliud in principio accessus, aliud declinante malo, aliud cum medio modo se habet. Eodem modo alia & alia adhibenda sunt, si dolor vehemens lancinarit, aut si inducias dederit. In principio vbi accessio influentis humoris persentiri cœpit hæc agenda. Influens humor statim euacuandus venit, & reuellendus, quod commodissimè fieri potest vomitu: sed quia is in carnosis, vel obesis corporibus, difficilis esse consueuit, laudarem vt per medicamentum purgans humorem educeres. Quod licet quibusdam non probetur, scilicet quod agitatum humorem nullo pacto amplius dimoueri velint: tamen ego multa experientia didici mirum in modum prodesse, neq; nouum illud est, & inusitatum. Etenim Alexander Trallianus lib. vndecimo expressis verbis iubet exhibẽda solutiua, non solum præseruationis ratione per morbi interualla: sed in ipsis mali paroxysmis. Quod mihi non videtur alienum ab Hippocratis præcepto, quod habet primo aphorismorum. Medicamentum autem aliquod debet esse ex præscriptis. Quo facto non improbarem, si quis frequentes cucurbitas affigeret cum

scarificatione scapulis, lumbis, & superioribus natibus. Præterea intercipiendæ viæ per quas humor illabitur: in quem vsum vtrique crura obuoluendæ fasciæ oblongæ madefactæ in posca chalybeata, quæ incoxerit rosas, cortices granatorum, & parum aluminis dissoluerit. Quod etiam fieri velim toties, quoties medicamentum aliquod purgans per os assumpseris: nam sic fiet vt exagitatus, & ad motionem expeditus humor, minus illabatur in iuncturas. Præterea velim eodem oleo cum largo sale soluto iuncturas firmari: quod etiam per morbi interualla subinde faciendum consului. Hæc agenda sunt donec videatur non amplius tumor partis augeri: vel donec maior humoris influxuri pars se insinuarit. Nam cùm minus influit, velim loco rosacei chamæmelinum cum sale assumi in eum vsum. Si dolor vehemens accesserit, tutissimum est applicatum cataplasma ex lacte, intrito pane, cum vitellis ouorum, oleo rosaceo, & croci modico. Vel aliud ex farina hordei, fabacea, rosis, chamæmelo, incoctis sapa, & adiecta cassiæ medulla. Vel aliud quod sic conficio, eóque frequenter feliciter vsus sum in magnis doloribus tam ischiadis quàm podagræ.

℞ Cicutæ, Parietariæ, Lapatij, maluæ ana quantùm placet, coquantur in vino bono: cocta & contusa admisceo axungiæ porcinæ re-

centi, & subtilißimè trito surfuri. Et applica loco dolenti. Eius generis permulta vario modo concinnari in hunc vsum possent, sed hæc sufficient. Pòst quam fluxio destitit, & dolor cessauit, incipiátque influxus humor diflari, ipsius resolutio sollicitanda est. Verùm ea industria, ne eo quod tenuius est, extracto, crassior materia infixa permaneat, quæ posteà nodosam reddere queat podagram, ingenitis tophis. Quare mihi placeret affectos artus, tùm exhalatione alicuius decocti fomentari, pòst leniter abstergi, atque aliquo cerato obuolui. Decoctum fiat ex rad. altheæ, florib. stœchadis, lauendulæ, calamenthi, chamæmelo, meliloto, adiecto pauco sale. Ceratum esto hoc, vel simile.

℞. Diachalciteos part. ij. diachylon iriati p. j. Emplastri è melitoto, vel oxycrocei p. s. Emolliantur instillato oleo vulpino, & extendantur supra alutam. In hunc vsum etiam mirè valet decoctum vulpis integri, adiectis ranis, & lumbricis, & herbis paulò antè dictis vel omnibus, vel aliquibus. Vel si placet linimento vti: conficies ex myrrha bona, ex gummi ammoniaco extillatis per ouum coctum admixto vulpino vel costino oleo, dissolutis lumbricis additis & pauco sale intrito, quibus si adderes muccaginem, quam reddit cornu cerui limà attritum, incoctum vino, magis proficuum foret. Eo subinde essent declinante morbo

affecti

affecti artus illinendi. Licet quæ hactenus à me scripta sunt, sufficere poßint in arthritidis tuæ curatione, tamen vt agnoscas, valetudinem tuam mihi summopere curæ esse, addam hoc naturale remedium (iubet sic nominare quæ Græci φυσικὰ & φυσικὰ περίαπτα, vocant) cuius ego experimentum vidi hisce meis oculis. Cum anno quinquagesimo quinto Neapoli medicinam facerem, vsus sum familiariter Episcopo Stabiensi Ioanne Fonseca Hispano Theologo. Is grauiter laborabat arthritide: quapropter cum vbique auxilium imploraret, remediáque vndique conquireret, intelligit Monachum quendam, ex ijs qui sub Pausilypo monte ante portam habitant, ex graui arthritide curatum esse, remedio quodam, ex istis quæ alligantur: accersit Monachum ad se vt intelligeret, curatúsne esset, & quo remedio. Monachus venit, sexagenarius, narrat se quotannis arthritide corripi solitum, inqúe plures menses detineri morbo tam graui, vt etiam post paroxysmum pedes suum officium non facerent, nisi inniteretur baculo: addit se uaria & multiplici curatione vsum, nihil profecisse: tandem se incidisse in Siculum quendam, qui pro experimento certißimo, quod subscribemus, docuerat: quo postquam vsus esset, cœpiße paulatim melius habere, atque iam multis mensibus liberum esse à paroxysmo, genua quæ humore mirum turgida

fuerant, desedisse, cæteróque pedum articulos egregiè detumuisse, adeo vt iam membra agiliora sine scipione leuarentur. Remedium hoc est: accipiatur testudo masculina (cognoscitur inter cætera ex caudæ discrimine, & leni sub inferiore testo incisura) vbi Luna fuerit maximè lumine diminuta, priusquam cum Sole coniungatur: amputentur viuæ crura omnia, ea consuta in sacculos ex pelle hœdina angustos, alligentur mēbris patiētibus, ita vt dextrum crus testudinis, dextro cruri ægrotantis respondeat, sinistrum sinistro: item anterius crus dextrum, brachio dextro applicetur, sinistrum sinistro. Quo loco alligari debeat non expressum fuit à Medico, Monachus supra genua suspenderat: & in brachijs supra cubita. Hoc remedium cùm fuit à Monacho expositum Fonsecæ, tum temporis non adfui: Postea cum Episcopus hæc mihi retulisset, voluit vt ipsus Monachum conuenirem, & omnia diligenter considerata intelligerem, si quid aliud desideraretur in remedij suspensione. Conuenio ipse Monachum, colloquor, nihil intelligo præter iam à me scripta: contrecto iuncturas, inuenio detumuisse: & quæ ipse ante aliquot menses suspenderat supra genu, tumore dissoluto iam deciderant in pedes, & parum aberat, quin exciderent: cum rogarem quid causæ esset quare non paulatim stringeret alligata pro ratione tumoris decrescentis: respondit: se expecta-

expectare vt omnino tumore resoluto, excide-rent, Addidit, ex his, cum primum alligantur, aliquid putrescentis odoris expirari, sed statim illud difflari exiccatis cruribus sanguinolentis, nihil præterea incommodi esse retulit. Is idem Monachus longo itinere per varios ambages, me pedes è cœnobio eduxit, vt ostenderet quàm se rectè haberet. Postquam rem se ita habere intelleximus, aptauimus idem remedium Episcopo Stabiensi, quod postquam alligassem, cœpit paulatim habere melius: quo tempore virũ reliqui, neq; intelligere postea potui, an pœnitus conualuerit. Horum omnium, & multi alij docti viri testes esse possunt, & præcipuè excellentissimus nostro seculo medicus Ioannes Argenterius fidem facere debet, qui cum hæc agerentur præsens fuit, De differentia testudinis nihil addidit Monachus: tamen si quid inde auxilij sperandum sit, arbitror in podagra frigida applicandas terrestres: in calida aquaticas: nam illud discrimen obseruare soleo, ab alijs primum edoctus, in vnguento quodam quod ex testudinibus ad arthritidem compono, quo alias sum feliciter vsus. Nolim hoc aut simile remedium parui fieri, quod ab vsu communi, aut à ratione alienum videatur: nam multa sunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat, licet ratio nihil inueniat, quo illa dijudicet. Excellentissimi ante nos Medici illis

vsi

sunt, & diuinissimus Galenus vtitur subinde, quemadmodum passim videre est, & Alexander Trallianus fidem facit. lib. 7. cap. 13.

Quod ad victus rationem attinet in accessionibus obseruandam, eam velim tenuem esse: & vino, tum temporis omnino interdictum, donec eæ declinare occeperint, tum parciùs & dilutum bibendum. Hæc sunt quæ de arthritide dicenda putaui: addam pauca quædam de nephritide: quandoquidem illa omnia quæ diximus obseruanda in præseruatione arthritidis, huic etiam conueniunt, & ex vsu sunt. Solùm hoc addam, quod ego experimento longo cognoui multum valere in præseruatione à calculo, nimirum si subinde ieiuno ventriculo assumantur amygdalæ amaræ, vel nuclei persicorum aliquot, & statim superbibatur nonnihil vini albi boni. Eodem modo sæpenumero exhibui, vel calami aromatici, vel artemisiæ, vel, quæ in hoc casu efficacior est, virgæ aureæ herbæ dictæ, pulverem, aurei pondere, vel in iusculo, vel in vino. Horum vsus etiam à colico dolore præseruat: & quia multi flegmatis, & serosi humoris generationem fieri in corpore impedit, facit etiam vt minus materiæ iuncturis præparetur. Quare ego tibi horum vsum laudo, maximè hyberno tempore, nam in æstate intermittere aliquandiu decet, & zaccharo rosaceo vti. Quòd si malum

in renibus presserit, & dolor vehementior fuerit, suadeo vt hac potione vtaris.

℞. *nucleos persicos xiiij. Butyri* ℥ s.
Lactis seminum frig. maiorum extracti cum aqua capillorum Veneris ℥ iij.
Succi liquiritiæ ℥ j.
Vini maluatici ℥ ij. s.
Aquæ maluæ quæ raphanũ infuderit ℥ j. s.
Misc. fiat potio dissoluto succo, & nucleis cõtusis. Hæc potio bis in die reiterari potest: exhibenda calida. Et quoniã vehementer suspectũ habes hunc affectum, atque ego nihil nisi tuum commodum quæro, & salutem desidero, suppeditabo tibi remedium quod à præsentissimo mortis periculo in hoc morbo quàmplurimos liberauit. Id volo tibi charum esse, eóque vteris, vel quando suspectus est morbus, vel quando præsens vrserit, siue solùm dolore lancinet, vel etiam vrinam impediat. Nam præsentaneum inde remedium percipies. Hoc remedium ita confi io, edoctus primùm viri boni cuiusdam Pedemontani experimento.

℞. *Aquæ ex stercore bouino distillatæ mẽse Maij* ℥ iij. *Vini albi optimi quod per horas viginti quatuor raphanos concisos infuderit* ℥ j. s. *Aquæ fragorum* ℥ vj. *Succi limonum, vel Arantiorum* ℥ ij. *Mixtis omnibus fiat potus, addendo si placet parum syrupi capillorum Veneris. Huic potioni iniice sequen-*

ris pulueris pondus vnius aurei, & exhibe bibendum. Puluis esto qui sequitur.

℞. Seminum violarum, fructus integri bardanæ, vel lappæ maioris (sic vocant personatiam) ana libr. j. Saxifragiæ lib. s. Baccarum lauri ℥ v. fol. quercus ℥ iiij. Cineres leporis integri suffocati. Omnia siccentur, & puluerentur, & misceantur, & seruentur in vsus. Quòd si præscripta aqua ad manum non fuerit, hic puluis egregiè facit solùm in vino exhibitus. Exhibui aliàs in hoc dolore, non sine insigni ægrotantis iuuamento. Aquæ capillorum veneris distillatæ in cucurbita vitrea ℥ iiij. Croci ℈ s. Vini maluatici ℥ j. s. Misce ex infusis raphanis

Iuuat etiam plurimùm lachryma vitis dissoluta vino tenui, & epota, concrescit ea supra palmites, & coagulata hæret vt in cerasis, prunis, & id genus arboribus gummi quod vocant (quod etiam in eo casu ex vsu est) & in resiniferis resina. Propinare etiam vidi commodè aquas polygoni (corrigiolam vel centinodiam vocant) & personatiæ, hoc est, lappæ, & bardanæ dicta herbæ distillatas. Verùm eorum numerus quæ prodesse possunt huic morbo curando, non debet, nec potest hîc explicari.

Hæc sunt vir integerrime quæ in salutem tuam consulenda duxi, quæ æqui, bonique consules. Lugduni.

Consi-

Consilium vigesimum primum in febre tertiana pro viro integerrimo ciue Lucensi, habitum cum Medicis Geneuensibus.

Morbus quem vos, excellentißimi medici, iam decimus quartus agitur dies, singulari diligentia in hoc integerrimo viro curandū suscepistis, ex genere febrium est: ad cuius curationem postquàm placuerit etiam meam operam adhibere, consultum videtur hîc paucis naturam eius febris explicare, & vt exactè cognoscatur, ipsius causas indagare: nam si illæ cognitæ tollantur, ipse morbus omnino percurabitur. Etenim rei effectus facile euertitur, causis proximis seu coniunctis, quomodocunque lubet nominare, ablatis. Quapropter scire vos arbitror, hunc integerrimum virum à prima corporis constitutione, hepate fuisse calidiore & sicciore (huius solùm temperaturam ostendam quod cætera viscera, & principes corporis partes, parum vel nihil ad morbi istius generationem faciunt) ostendit illud primum totius corporis constitutio extenuata & macra: venæ per habitum dispersæ latiores: corpus vndique hirsutum, & pilis vestitum: morbi quibus per omnem ætatem obnoxius fuit, hoc ipsum demonstrant. Etenim frequentia

erysipe

erysipellata, quibus crura solēt sæpe et multū affici, sunt ex sanguine bilioso, ab hepate calidiore & sicciore ingenito. Taceo id genus multa alia indicia quibus hoc demonstrari posset. His ita se habentibus, iam ætate ingrauescente (quādoquidem consistentem ætatem prætergressus ad primum dictum à Medicis senium peruenit) cœpit ex biliosa constitutione corporis in melancholicam inclinare: quod omnibus his successu temporis necessariò aduenit, qui primùm sunt calidiore & sicciore hepate constituti. Ratio hoc ipsum ostendit: & Galenus author est in arte Med. atque illi sunt, quibus ingeneratur feculentus, crassus, adustus plurimus humor. Qui cùm in hoc insigni viro propter naturale temperamentum, propter ætatem, propter vitæ genus, propter tempestatis in qua sumus qualitatem, multus ingenitus sit, neque promptè posit à natura expurgari, & in crura tam facilè, vt assolet, ad generandum erysipelas præcipitari. (etenim ad huius generationem non crassus sanguis aptus est, sed biliosus & tenuior: nam ille è venis elapsus promptè musculos peruadit: & circa membranam cuti substratam expeditè spargitur) retentus in venis obstructiones generauit: eæ deinde transpirationem liberam impediuerunt, quæ posteà putredinem accēderunt, atque febrem excitarunt. Est igitur hæc febris putrida, quæ cùm soleat esse vel continua, vel intermit

intermittens: hanc intermittentem esse videmus quod post quanlibet accessionem inducias det naturæ, liberásque à febre aliquot multas horas interponat. Verùm intermittentes febres, vt scitis, sunt in triplici differentia, pro humore qui putrescens in corpore eas accendit: nam pituita quotidianos accessus facit: atra bilis, quartanam fouet, quemadmodum bilis alia tertianam. Atque in omnibus his varias & multiplices videmus differentias pro vario & multiplici humorum discrimine. Et quoniam diximus in hoc magnifico viro bilis quantitatem procreari: at non simplicem hoc tempore, sed pro ratione ætatis cæterarúmq; conditionum crassam, adustam, & magis feculentam, rationi consentaneum est, hanc ipsius febrem tertianam quidem esse, attamen non omnino simplicem, & exquisitam, verùm pro discrepantia humoris ab ea non nihil differentem. Quòd autem ita se res habeat, non typus ipsius febris solummodo, (licet egregiè) sed etiam cætera omnia indicia ostendunt. Febris inuadit cum horrore, non omnino cum rigore: accessionis principium longius extenditur quàm simplex tertiana permittit: non terminatur sudore, quòd ferè omni, peculiare & proprium est: nullus bilis vomitus, qui etiam vt plurimùm ei coniungi solet. Hæc & alia quædam, quæ simplicem comitantur, in hac desiderari video: attamen tertianæ typum retinet, vt

scilicet ferè duodecim horarum spatio expedi-
ta & absoluta, non reuertatur, nisi horis tri-
ginta & sex exactis: licet hoc tempus subin-
de nonnihil (prout natura aut stimulata, aut
sua naturali facultate mota materiam putre-
scentem expellat) pro portione tamen anteuer-
tat. Febris igitur est, qua hic vir integerri-
mus laborat, putrida, intermittens, tertiana,
sed non exquisita omnino. Quare autem pri-
mi quaterni ex ordine paroxysmi, proximi fue-
rint, & similes exquisitæ, & post quintum
paroxysmum videatur degenerasse in notham
& magis productam, non est, vt vos arbi-
tramini, quòd nouus iam ingenitus sit hu-
mor, priori aut consumpto, aut illi addito,
vt ita ipsius quantitate aucta, vel eo regenerato,
paroxysmi magis producantur. Nam si hoc
verum esset, non diuersa, aliqua conditione,
febris hæc esset, sed omnino eadem & simi-
lis ei, quæ præcessit, cum eundem qualitate
humorem regenitum imaginamini. Et qui
istud fieri posset, tam breui tempore, in homi-
ne decumbente, vobis administrantibus omnia
diligenter, quæ ad curam huius febris perti-
nent, ad humoris præparationem & eductio-
nem, atque ad intemperiem morbosam tollen
dam: detracto iam sanguine, & cæteris ad vsum
necessarijs à vobis, vt arbitror, ritè exhibitis
Verùm quanam eius rei causa mihi videa-
tur

tur, accipite. In febribus ex simili humore putrescente genitis, natura cùm humorem peccantem aggreditur, & expellere è venis segregatum nititur, segregat, & expellit faciliùs, minorique negotio subtiliorem humoris partem, vt alterationi magis obnoxiam: quæ cùm in humore in isto nostro ægrotante resipiat magis veram bilem, hoc est proximiùs ad naturam ipsius accedat, factum est vt priores paroxysmi quàm proximè ad tertianam veram accederent. Verùm ea magna ex parte consumpta, subsequuturi paroxysmi debebant necessariò magis aliis notham referre tertianam: nam ita factum est, vt cùm natura aggressum humorem, nimirum crassiorem subtiliori eius parte iam consumpta, difficiliùs accenderet, principium accessionis euaderet longiùs: & vniuersus paroxysmus magis produceretur, quòd crassior materia non posset tam promptè superari. Hinc etiam factum est quòd post secundum paroxysmum nullus in declinationibus febris apparuerit sudor: neque vllus bilis vomitus conspectus sit. nam humoris crassities repugnat in vtroque, & in illo etiam cutis aridior, & densa in ea siccitas. Hypochondria nonnihil tensa sunt: sed non admodum tumida, vel dura. In his humor latet vtplurimum, atque non immeritò febris istius focus illis dici potest: licet eius in vniuerso venoso

genere sit multum. Materia ibi putrescens, quia craßior est, causam dat multis exhalationibus, quæ partim septum transuersum subleuãt, & subinde pectus peruadentes, causam præbent vt spiritus fiat minus liber, & æger ipse persentiat quasdam angustias, & quasi compreßionem pectoru, & sæpe spiritum minus liberum. Hinc etiam permulti flatus, quibus inferior venter lancinatur: quósque subinde pedendo excludit. Humor enim hic crassus, cruditatibus permixtus, egregiè flatulentus est: & iam ex Aristotele didicimus melancholicos natura multis flatibus turbari. Hæc sunt omnia symptomata quæ hanc febrem sequuntur: iste morbus, & ipsius causæ. Quid mihi videatur de exitu rei, paucis adiungam. Febris est intermittens. Hippocrates à febre quomodocumque intermiserit, periculum abesse credit. Est tertiana quæ solet septem circuitibus, illo dicente, terminari, si exquisita fuerit: atque hæc ab ipsius natura parum distat: ergo plures habebit quàm exquisita paroxysmos, & longior erit. Nam vt quartana exquisita longißima est, minus longa quæ notha: sic exquisita tertiana breuißima omnium, & quò quæque longius ab exquisita fuerit, eò longior solet esse, & magis producta. Quod idem in hac febre timendum videtur, maximè cùm obseruemus nihil hactenus à natura indicatum

esse:

esse: nã quòd in quinto parroxysmo vrina paulò copiosior fluxerit, parum facit, cùm antè non habuerit coctionis signum: tamen si quid inde indicij sumendum putetis, arbitrarer vndecimum vel ad summum xiiij paroxysmum non transiturum. Quod ego facilius credo, cùm iam in septimo laudabilem humorum concoctionem in vrinis obseruem. Facit etiam aliquid quòd venter per se biliosa quædam in ipso paroxysmo, & paulò ante eum eiecerit: quæ omnia & morbi securitatem ostendunt, neque eum valde productum iri. Nam cùm vitalis virtus non omnino labefacta sit: & animalis satis integra: naturali paulatim melius habente: nullo symptomate quod grauiter vrgeat, aut periculum egregiè minetur præsente, omnino ab hoc morbo liberabitur, & euadet. Neque terminabitur hæc in quartanam, in quam inclinata est, propter hypochondria tensa, & crassitiem humoris: si nos nostra opera prospexerimus, vt obstructiones expediantur, crasso humore attenuato, lento absterso, viscido inciso, & quod propter adustionem in eo siccius est, & durum, humectando emolliatur. Ita enim fiet, vt causis his sublatis febris curetur, & prouidebitur ne calore suo humores iam adustos, & crassos magis compingat, & adurat. Quibus hoc remedijs fieri velim, paucis expedio. Quandoquidē quæ in principio totius morbi mouenda visa

vobis sunt, Doctißimi Medici, commodè mouistis, leniente exhibita Caßiæ medulla, vt primas ab isto humore venas liberaretis: & sanguine detracto ea quantitate, quæ vobis tunc visa est: subiungam paucis quæ vlterius arbitror facienda. Nam de illis nihil addere oportet, quòd cum ratione ea adhibuistis. Etenim licet sanguinis detractio in tertiana febre non administretur à Galeno: sciendum tamen est, id in exquisitißima ab eo fieri, quæ solummodo humectantia & refrigerantia postulat, tam febris quàm humoris ratione. Verùm in hoc nostro ægro exquisita non est, & humorem crassum materiam habet, & ab obstructionibus manifestis fouetur ipsius putredo, & hepar præter modum excalfactum: vt omnibus his occurri posset, in ea ætate, tempestate, habitu corporis non potuistis non hoc remedio aggrauatæ naturæ subuenire: maximè cùm intelligeretis sibi istud remedium quasi quotannis fuisse familiare, solùm hoc ineunte Vere (quo tempore solet eo vti) abstinuisse. Ex vrina video humores hoc tempore magna ex parte concoctos esse, & ad expulsionem quicquid in eorum massa nociuum est, quodam modo præparatum. Quare ego summopere probo, si crastino die, quo liber erit à febre, quíque septimum paroxysmum subsequuturus

rus est, exhibeatur lene aliquod medicamentum, quod eos humores purget: si non omnes extrahere queat, saltem eos imminuat. Quod vt faciamus adhortatur nos etiam, quod videamus naturam hoc tempore per ea loca excretionem aliquã moliri: nam in hoc paraxysmo iam tertiùm excreuit biliosa, crassa, fœcibus permista: sed omnia in exigua quantitate: causa mihi videtur, quòd cum in accessione febris vniuersus in venis humor agitatur, vt natura segreget eum, in quo febris accendi debet, exprimitur ex omnibus venis putrescens: ex internis autem quod exiguum in intestina distillat, naturam irritat, & ad excretionem excitat, hoc ipsum fecibus permistum, colorem ipsis suum tribuit: sed quia modicũ illud est, excrementa pauca procedunt. Quapropter videtur mihi natura nostra auxilio iuuanda, & per hæc loca conuenientia, quò vergere videtur, ducenda materia in corpore peccans: nam ita fiet, vt dempta magna ipsius parte, aut omnino febris non reuertatur, quod reliquum est à natura superato: aut si qui insequuturi sunt paroxysmi, & pauciores erunt & breuiores. Neque video in ea re difficultatem vllam: nam quæ dissuadere hoc videntur, à primo Doctore deliberante proposita non mihi vrgere videntur. Quandoquidem ad id quod dicit considerandum esse, an medicamentum exhibendum possit plus calidi-

tate sua obesse corpori, quàm vtilitatis adferre educendo aliquid humoris calidi peccantis: nimirum omnia solutiua medicamenta calore suo suspecta esse. Respondeo illud nullius momenti esse, cùm non velimus Antiquorũ medicamentis vehementiobus in hoc febricitante vti, neque scammonio, neque helleboro, aut id genus alijs vtramque bilem, & crassos humores magna violentia per fas & nefas educentibus: cùm suppetat nobis magna copia benedictorum vocatorum medicaminum, quæ Arabes suppeditarunt: ex quibus non solùm non calfaciunt nonnulla, verùm etiam duplici ratione refrigerant & humectant, & sua qualitate, & humoris siccioris & calidioris eductione. Ex his multa sunt, sed in hoc ægrotante mihi solùm probatur Rhabarbarum, Sir. rosaceus solut. Cassia. Ex quibus ita medicamentum componi velim.

℞. Rhabarbari boni ℥ j. s. Cinamomi, spicæ ana ℈ s. infundantur in aqua endiuiæ, vel ipsius decocto q. s. secundum artem, in colatura dissolue Sir. ros. sol. ℥ j. Cassiæ medullæ ℥ s. Misce, fiat potio danda in aurora. Medicamentum hoc qualitate potius frigidum est: non calidum, humorem peccantem sine molestia educit, & expurgatas partes roborat: nec quicquam facit quod existimatis agitatione sua calorem in corpore ciere posse. Non enim motus is calfacit nostrum corpus: dissoluit quidem spiritus & vires

res imbecillas, sed quæ facilè reuocari poßint: & vtilitas maior ex educto humore, quam incommodum, quod ex agitatione illa tam exigui medicamenti resultare queat. Quod autem ex Galeno adducit idem, medicamenta subtilißimè pulnerata facilè in hepar rapi, & per vrinam secedere: naturam autem ostendere in hoc ægretante excretionem moliendam per ventrem & intestina, nostrum verò medicamentum, quia liquidum, pulueribus faciliùs in habitum corporis secedere. Respondeo Galeni autoritatem intelligendam esse de ijs medicamentis, quæ ob id exhibentur, vt in habitum corporis transeant, vel ad vrinæ vias deducantur: quæ sanè quo tenuiora sunt, eò faciliùs, expeditiùs, minoréque negocio peruadere, & penetrare credendum est. At non idem est in his solutiuis medicamentis, quæ vt plurimum in vijs primis permanentia ad se aliunde humorem proprium attrahunt. Est quidem verum quò fuerint tenuiora, eo citiùs vires suas exerunt. Scio etiam eadem ipsa medicamenta per vrinas euacuare, quòd fit per accidens. nam mota in venis materia, nec validè, vt fieri solet à fortibus medicamentis, attracta, facilè cum seroso permista humore elabitur per renes eius aliqua portiuncula. Quod etiam ego laudo in hoc ægro: nam natura hactenus particularium quorumcumque paroxysmorum materiam per vrinas excreuit, nullo sudore moto,

vndè declinante quolibet paroxysmo omnes vrinæ crassiores visæ semper sunt, & valde tinctæ. Non igitur præter rationem existimo factum, si hoc lene purgans medicamentum exhibeatur, quod & per aluum crassa, biliosa, flegmate admixto educet, & per vrinas aliquid nocentis materiæ præcipitabit. In sequentibus diebus aliquot (vt paucis absoluam institutam curationem) exhiberem semper aliquid, quo id præstare conarer, quod præstandum in curatione anteà dixi. Exhiberem igitur in hunc vsum sequentem syrupum.

℞. Syr. acetosi s. ℥ s.
Syr. de borragine, vel de endiuia ℥ j. s.
Decocti cichorij integri, borraginis integræ, melissæ, agrimoniæ, cetrach, passularum, aromatizati cinamomo, ℥ iiij. misce, pro dosi detur manè in aurora. Verùm quoniam alternis diebus solet febris manè circa sextam horam inuadere, neque cibi exhibendi tempus vllum commodum concedere, consultum mihi videtur, vt loco syrupi eodem tempore, quo propinari solet, vel paulò citius exhibeatur, quod & cibi & medicamenti vices subire queat: in qua re nihil excellentiùs inuenio, quàm vt ex hordeo expressus succus incoctis petroselini nostri (quod apium antiquorum est) aliquot radicibus exhibeatur: nam abstergit & refrigerat, humectat, nutrit. Præparetur hoc modo.

Her

Hordeum integrum confricatum, ventilatum, iniectum in ollam nouam, ablatis glumis, quæ aquæ innatant, coquatur additis apij radicibus donec crepet, & quasi dissoluatur, ex contuso deinde exprimatur succus, qui dilutior factus eadem aqua iterum lento igne coquatur iniecto pauco Zaccharo, donec consistentiam lactis, vel paulo crassiorem acquisiuerit, eius exhibeantur vnciæ plus minus sex. Quòd si febris pluribus accessionibus posthac molesta fuerit, autor sum vt post nonum, vel si id non placet, vndecimum paroxysmum rursus idem solutiuum, aut simile ei medicamentum, reiteretur. Intereà temporis exterior regio ventriculi oleo sequenti illinatur aliquando.

℞. Ol. de absinthio ℥ s.
Ol. cytoniorum ℥ i.
Masticis ʒ ij.

dissoluatur mastix in oleis: nam roborabit imbecilliorem ventriculum, coctionésque promouebit. Si venter alternis saltem diebus non responderit, sollicitandus eo die quo liber à febre est, molli & leniente clysmate, quod tamen flatus discutere possit, sine excellenti calore. Expurgato corpore, & obseruato primùm paroxysmo, nisi ex ipsius natura, & excrementis innotescat, multũ residui esse in corpore crudioris & crassi humoris, qui concoctione maiori, &

largio

largiore euacuatione egeat, placeret mihi saltem alternis diebus aquæ dulcis balneũ: quod si hoc tempore non putatis adhibendum, omnino non debetis prætermittere post nonum, vel ad summum vndecimum paroxysmum. Scitis, opinor, Galenum omnem tertianam solùm hoc remedio statim ab initio curare, primo libro ad Glauconem. Ibidem etiam qualemcunque notham eodem percurat, statim signis coctionis in vrina visis. At hîc signa manifestissima sunt: non addo quòd æger hic multum sit assuetus hoc remedio, & sæpe multúmque iuuamentum persenserit. Neque id mirum, cùm sit corporis constitutione egregiè calida & sicca, cui hoc balneũ potissimùm conuenit: non enim vllũ remedium, quod magis humectet, & refrigeret. Placet mihi etiam ipsius vsus tota hac æstate, et autumno, vt scilicet hac ratione se liberum reddat ab erysipelate: & à febre aliqua quartana, vel id genus aliijs melancholicis affectibus tueatur, & defendat. Hæc sunt medicamenta quibus hanc febrem expelli & exterminari velim: quod tamen non minus victus proba ratione fieri debet. Is debet omnino frigidus & humidus esse, non solùm febris ratione, sed etiam temperamenti, ætatis, tempestatis, &c. Placet mihi frequens exhibitio succi expressi vel ex hordeo, vel ex auena. Iuscula simplicia aliquãdo alterata herbis acetosa, lactuca, borragine, spina-

chia,

chia, cichorio, pimpinella, item cucurbita, & id genus aliis. His aliquando intritus vel incoctus debet esse panis. Aqua carnis vel ex asso capo, vel humero veruecis expressa vtilis erit, & proficua. Eo tempore quod à febre longissimè distat, non improbo intritum oui recentis vitellum. Vuæ passæ corinthiacæ madefactæ vino, & aqua mansæ, & deglutitæ contemperabunt humorum qualitatem, & nutrient. Panis modicè assus, vel exiccatus, irroratus vino, Zaccharo asperso ex vsu fuerit, vel is idem aut biscoctus insperso Zaccharo & instillato succo arantiorum tam acidorum quàm dulcium, in cibo exhibitus bonus erit: & id genus alij cibi, quos vos Medici curam administrantes facilè præscribetis. Potus post hunc septimum paroxysmum intermissionis tempore debet esse vinum album, oligophorum dictum, dilutum aqua. Requirit virtus imbecilla, & spiritus morbi vehementia dissoluti, & ventriculus imbecillior: non repugnant, neque humores crudiores, nec dolor capitis, aut viscerum internorum aliqua inflammatio: nam hæc solent apud Galenum vini exhibitionem prohibere: dandum igitur intermissionis tempore. Cùm febris vrget, satis & abundè fuerit aqua fontana incoctis paucis coriandris, vel cinamomo, & hordeo: quod si lubet in

ea Zaccarum dissolutum, non refragor. Hæc sunt quæ in salutem huius integerrimi viri consulta volui.

Consilium vigesimum secundum in quartana febre, datum Ioanni Lœuenitio, Legum studioso Buturigibus.

Binis vestris ad me missis literis respondi elapsis diebus vnis meis per nuntium quendam Germanum, qui comes datus erat quibusdam Augustanis studiosis ad vos proficiscentibus: in quibus non tàm vobis remedia præscripsi, quàm naturam illius difficilioris febris, longius explicaui, quas ęgrè fero vos non accepisse. Explicarem hoc tempore idem malum, eius causas, necnon ipsius effectus, nisi ne ab eo opere multa, & varia mea negocia retraherent, quibus tantopere obruor, vt vix respirare liceat. Tamen quæ ego obiter in eum vsum vestro puero astante vobis communicare possum, accipite: alloquor vtrunq;, & te & conterraneum tuum: nam vterque vt intelligo quartana conflictatur. Nam licet potissimũ ad te scribã Lœuenici, tamen quandoquidem de quartana dissero, capietis aliquid vterq; emolumenti ex hisce literis. Primùm hoc te scire oportet morbum qualemcunque ex arte curari non posse, nisi priùs cognoscatur, nisi

ipsius natura, ipsius causæ, atque effectus medico innotescant. Hæc intelligi non possunt, nisi corporis constitutione, temperatura, viribus omnibus, & facultatibus perspectis ad amußim: at ea perdifficile, imò cognosci non possunt, nisi à præsente Medico, eóque egregiè docto, & exercitato. Ego verò præterquàm quod ex te intelligam, quartanam: nihil de ipsius differentia, nihil de dispositionibus partium corporis tui accipio: neque recordor amplius tuæ dispositionis, quam solemus facilè ex physiognomia quadam saltem coniecturis colligere. Verùm dices: Licet mei immemor sis, & corporis constitutionem in mentem cogitatione reuocare nequeas: tamen satis illud eße debet, quòd quartana laborem, cuius causam Galenus, & cæteri Medici putrescentem humorem melancholicum constituunt. At hoc satis non est Medico prudenti, & qui salutem suo ægroto procurat. Quartana varia est: alia vera & simplex, quæ longißima esse solet: alia notha & spuria, quæ breuior. Et quoniam hæ ex diuersis nascuntur humoribus, diuersam Medicinam exposcunt. Alia quartana continua est, alia intermittens: quòd humor in diuersis corporis sedibus putrescat, & accendatur. Tamen quantum ex famulo intelligo, tua, intermittens est, & quartanæ typo solummodo affligens. Alia quartana sedem

&

& locum quendam habet, in quo humor quotidie generatur, & continetur ad fouendam febrem (Galenus febris focum appellat) isque solet vt plurimum lien esse. Alia nullo fouetur: solùm in eo humore accenditur, qui dudum in venoso genere ab hepate genitus est, & male à liene purgatus, atque ob id multùm deprauatus, & excrementitius. Hæc ego in te intelligere non possum: non enim scio an lien obstructus sit, an increuerit, vel intumuerit, an doleat, & cet. Nam si hæc ita se habeāt, omnino febris tolli non poterit, nisi priùs huic prospectum fuerit. Est enim illi causa, sine qua non potest curari febris: at ego inscius huius rei absens absenti consulere ex arte non possum. Alia quartana est eius naturæ, & tam mitis, vt nulla inferat symptomata: alia solet symptomata inferre varia: sed pleræque ventriculum iam progressa, & lienem afficere consueuerunt; atque ego ex tuo Famulo intelligo ventriculum imbecilliorem tibi redditum, atque ob id in accessionibus vomiturire amara quædam, flauescentia, nimirum biliosa. Alia in alijs quartanis tempora sunt & ætates morbi, atque ob id varia, & diuersa medicina adhibetur, quæ ab absente medico, nisi ab ægroto edoctus fuerit, assequi nequeunt. Nec satis est quòd scribas te iam sex menses ea laborasse: quandoquidem non sunt omnibus quartanis eadem tempora, neque illa vbiq; sibi paria.

Nec tempus totius morbi (quod quibusdam quadraginta paroxysmis, alijs anno integro terminari creditur) potest æquali proportione in partes quatuor decidi. Nam quibusdam est principium ipsius longißimum, augmentum breuius, vigor morbi & status egregiè extenditur, declinat etiam longiore temporis extensione: atque hæc in alijs alio modo se habent. Sunt præterea propè innumeræ id genus aliæ differentiæ à Medico considerandæ, qui eam arte (vt decet) curare velit: quas non possum omnes epistola hac comprehendere. Tamen hanc volo obiter adiungere, quòd ea potißimum momentum in curatione obtineat: Alia febris quartana est biliosa, alia melancholica: quam Galenus, & Serapion differentiam non obseruarunt: quapropter magno errore omnem quartanam calidißimis medicamentis curari putarunt, quorum doctrinam sequentes ferè hoc tempore plerique Medici, faciunt interdum, vt non solum non curent febres has, sed incurabiles reddant, aut saltem, si tandem à natura euincantur, quàm longißimè perdurent & extendantur. Quapropter si quid in Medicina intelligis, atque velis quædam de morbo tuo agnoscere, naturam eius intelligere, curam & victus rationem ritè institutam pro ratione morbi ediscere, potiùs consule Auicennam, & Alexandrum Trallianum, qui exactiùs, & maiori iudicio de quartana scripserunt, quàm

Galenus in 2. ad Glauconem, in Crisib. atque in libris de differentijs febrium. Inter vtramq; maximum discrimen est. Quartana vera, quã putamus generari ab humore melancholico, vel succo malancholico vel nigro, hoc est fece sanguinis frigida & sicca, quam Galenus agnouit, curatur calfacientibus, & humectantibus, scilicet his qualitatibus noxius humor euincitur. Quartana altera, quæ ab hoc humore adusto, vel bile aliqua assata, vel sanguine superassato genita fuerit, longè alia est, quæ vt plurimùm alijs febribus solet superuenire, id est in quam solent vt plurimum ardentes febres, erraticæ, tertianæ spuriæ terminari. Etenim hæc non calefacientibus, sed contrarijs refrigerantibus, scilicet, & humectantibus euincitur. Docet hoc experientia: & facilè ratio approbat ei, qui humorum nostrorũ temperies, & qualitates agnoscit. Signa vtriusque longiùs hîc foret recensere: nam quæ ex consuetudine, ætate, victus ratione, exercitij genere, temperie partium principum, & id genus alijs sumuntur, nõ lubet hîc omnia numerare: quæ ex effectib. intelliguntur, longiùs foret, nec absens absenti posset explicare: quòd in huiusmodi febribus sæpe pro diuersitate humorum, eorum signa complicentur. Tamen quæ magis patent, sic se habent. Biliosam quartanam indicant, si extrema non admo-

dum

dum longo tempore ab initio in paroxysmis frigeant, vel horreant: si rubeat lotium: pulsus sit vehementior, atque velocior: caloris: æstus acrior: sitis, vigiliæque subsequantur: (nisi ventriculus refragetur) si æger irrequietior sit: si bilis vomitus sequatur: si accessio tota vel paroxysmus breuior fuerit: quòd si omnia hæc, vel plurima obuenient, febrem biliosam quartanam ostendunt facilè. In melancholica verò contraria videntur. Frigidus algor imprimis & prolixus ossa quodam modo confringere videtur: lotium subalbidum apparet: (ita Galenus in quartana agnouit) calor ignauus & obtusus: pulsus tardior & rarior: quíque difficilè emergat: accessio producta: & ita in cæteris: quæ non possum omnia breui epistola docere. Quænam ex his tua sit febris, scire non possum, neque ob id quicquam in rem consulere: quantum cõiectura assequor & relatione tui famuli, qui fert te sæpe biliosa euomere: principium febris potiùs cum horrore vel rigore quàm cum frigore inuadere: paroxysmum esse breuissimum, arbitror potiùs tuam biliosam esse vel ex melancholia adusta, quàm quamuis aliã. Quod si verum est, medicamentum quod scribis te assumpsisse consilio cuiusdam tui Medici, omnino tibi cõtrariũ est & noxium. Et si quid amplius debeo dicere in vera quartana, etiã quæ ex simplici succo melancholico est, mihi non

v 2 pro

probatur. Quandoquidem non minus exiccat, quàm calfaciat, cùm tamen omnis quartana non tantum humoris ratione humectantia desiderat, sed etiam quatenus febris est, huiusmodi requirat. Hinc senex Hippocrates Aphorismorum primo, Aphorismo 16. scribit victum humidum febricitantibus omnibus conuenire. Quare si meo consilio vti velis, fac ego intelligam particulatim omnia, quorum mentionem hîc feci: atque videbis, experientiáque cognosces, meum consilium, quod libenter tibi communicaturus sum, abundè tibi profuisse: vel quod magis ex re tua arbitrarer, consulerem vt ad nos venires, dabo operam, vt intelligam naturam tuæ febris, & quàm citissimè curem. In qua profectione illud etiam habebis emolumentum (quod magnum in quartana esse solet) nimirum aëris mutationem. Accepto consilio, si hærere non libeat, post paucos dies poteris redire. Quartanā scribunt nulli lethalem fuisse vnquam, tamen sæpe causam præbere grauissimis morbis, qui posteà hominem interimunt & auferunt. Solent sæpe subsequi cachexia, aqua inter cutem, vlcera difficilia curatu, icteri nigri, tabes, destillationes perniciosæ, & nescio qui alij morbi. Intelligo ex famulo te quadam raucedine & tussi affligi: manifestum indicium alicuius humoris è cerebro intemperato labentis. Quicquid illud sit, fac

quoque

quoque me certiorem. Intereà temporis poteſt tibi facilè victus ratio præſcribi, quæ ex vſu futura ſit, quæcunque cauſa fouerit quartanam. Primùm igitur fuge animi omnes moleſtias, curas, cogitationes, grauiora ſtudia: iucundè viue. Si legibus grauiori ſtudio vacare non potes, vaca muſicæ his menſibus, & iocis lepidis, vel hiſtoriarum lectioni. Venere omnino tibi interdico, licet Ariſtoteles melancholicis prodeſſe eam dixerit. Exercitium velim eſſe mediocre, ijs diebus quibus à febre liber es, idque ſemper ante cibum: quòd ſi non potes ipſe obire, cura poſt ſomnum leniter fricari. Somnus profuerit multum, ſed nocturnus, neque ſtatim à cibo: in acceßionis febris hora omnino vitandus, declinante illa quærendus. Aërem frigidiorem fuge, item humidum, nebuloſum, fumidum. Exercere ſolum in aëre, vbi ſolis ſplendor nebulas diſcuſſerit, aërémque ſuis radijs defecarit. Vt excrementa alui, veſicæ quotidie egerantur proſpiciendum, quòd ſi ſponte & opera naturæ non fiat, danda opera eſt, vt ars id efficiat: aliquando ante cibum pilulam vnam ex aloë elota deglutienda, aliquando paululum Rhabarbari dentibus mandendum & deuorandum, aliquādo nucis auellanæ magnitudine terebinthinæ Venetæ (ſic vocant Pharmacopolæ reſinam larignam) vel olei abietis (ſic vocant reſinam abiegnam) ante cibum deglutiendum: quæ o-

mnia præterquàm quod aluum mouent etiam prima viscera extergunt & expurgant. Horum loco aliquando iuscula pinguiora incoctis malua, oxalide, borragine herbis ebibere vtile fuerit: aliquando iusculis mannam iniicere: aliâs nucis magnitudine cassiæ medullam in prima mensa deglutire, & id genus alia. Cibus & potus omnis humectandi vim habeat, quare potius elixus sit, quàm assus. Dicat Aristoteles quod velit in problematis, assa humidiora esse elixis. Fuge sale multo condîta, fumo durata, carnes maiorum animalium, aquatilium, legumina omnia, pisces prope omnes, caseum, & quicquid est lactarium, carnem suillam, bubulam, axyma omnia. Cibus ferè sit hœdina caro: auicularum, caporum, gallinarum, veruecum & vitulorum iuuenum non improbo. Pira & poma cocta anisis vel coriandris condita. Bis sumatur in die, Hora assumptionis longissimè distet à paraxysmo. Et si febris octaua, vt intelligo, inuadit, manè nihil omnino assumatur: declinante febre sub noctem ebibe cremorem hordei expressum incocto cinamomo, aut radicibus petroselini. Vinum sit non potens, non dulce, non austerum, sed tenue, maturum, & quod paucam ferat aquam. Si in febre bibendum est, vtere aqua hoc modo præparata. Aquæ lib. 6. mellis lib. s. Cinamomi drachmæ duæ, passularum Corinthiacarum

rum pugillum vnum: Coquantur. Hæc quæ ad victus rationem spectant. Si ad me venire nolles, priusquam rescribas, poteris tuto vti his lenioribus medicamentis. Si febris inuadat cum nausea, nec vomitus expeditè sequatur, statim tepidam hanc potionem epota.

℞. Decocti S. anethi ℥ viij.
Oximel. simplicis ℥ ij. s. Misce pro vna dosi: hancque posteà euome, iniectis vel digito vel penna in fauces postremas. Prætereà non videretur mihi præter rationem, si curares tibi venam internam sinistri brachij (lienarem vocant) aperire, eo die quo liber es à febre, extrahi sanguinis, si niger is est, aut crassus, ad vncias circiter nouem vel decem: Sin alius, statim supprimi debet. Suadeo, vt per octo aut decem dies manè ebibas hanc potionem calidam, & superdormias si potes. Potio hæc esto.

℞. Syr. de fumoterra, Syr. de cichorio s.
Syr. acetosi s. ana ℥ s.
Decocti sequentis ℥ iiij.
Misce pro vna dosi.

℞. fol. senæ ʒ j. Liquiritiæ ℥ s.
Florum violarum, borraginis, hordei, passul. ana p. j. pruna numero x. Cetrach. Cichorij integri, agrimoniæ ana m. j. Epithymi p. j. s. polypodij ℥ j. Coquantur omnia in aqua chalybeata q. s. secundum artem ad tertias, coletur, clarificetur,

aromatizetur cinamomo, seruetur pro syrupo. Singulis intereà septem diebus, quo die febris non affligit, sed die præcedente febrem, assumas hoc medicamentum leniter purgans in aurora.

℞. fol. senæ ℥ ij. s. Epithymi ℥ ij. Rhab. electi ℥ j. s. spicæ celticæ ℈ j. Omnia infundantur in suprà scripto decocto vel decocto pectorali q. s. per noctem manè colatis adde Syr. rof. sol. ℥ j. s.
Confec. hamech ℥ j. s.
Misce, fiat potio danda in aurora. Lien ne aliquam noxam capiat, curabis inungi sequenti linimento, singulis diebus bis, ante cibum potissimum.

℞. Olei capparum, Ol. absynthitis. ana ℥ j. vini albi ℥ iij. Succi cressionis, Hoc est. Cardamines, vel sisymbrij aquatici ℥ s. Pinguedinis anserinæ ℥ vj. S. fœniculi, Epithymi ana ℥ j. Coquantur ad vini & succi cons. Colentur, & cum pauca cera fiat linimẽtum pro hypochondrijs, sed maximè sinistro. Ventriculus ne calamitatem patiatur fouẽdus est sequenti oleo.

℞. Ol. Cytoniorum ℥ ij. Ol. de absinthio ℥ s. vini ℥ ij. Spicæ nardi, Macis ana ℈ j. s. Coquantur ad vini cons. Coletur, & in eo dissolue Masticis ℥ ij. s. Seruetur ad ventriculum inungendum. Hæc sunt quæ hoc tempore scribenda duxi, quibus vteris in curatione tuæ febris: vel quàmprimum exactè rem

omnem

omnem ad me perscribes, si elaboratiora à me petis. Cura vt conualescas, meísque verbis perofficiosè Conterraneos omnes nostros, qui vnà tecum ibi sunt, saluta. Luguduni.

Consilium vigesimum tertium in varice sinistri cruris cum eiusdem tumore circa talos, & sub genu quadam duricie, ad ciuem Geneuensem.

Qvanquam tibi, Nicolae, sicut cæteris omnibus perspectum arbitror, quis sit ille in crure affectus, qui te malè habet (quandoquidem facilè cuique per sensus exteriores innotescit, nihilominus vt huic malo conueniens aliquod remedium quod exposcis, adhiberem: visum est mihi non alienum ab instituto scribere ad te quædam breuiter, quò de re tota cognitionem & maiorem habeas, & pleniorem. Scias igitur inprimis quod in ea concoctione, quam in hepate natura perficit, sanguinis nimirum, tria, vt in omni alia cõcoctione, excrementa resultant, nimirum serosus humor, atque hic magna ex parte à renibus attractus per vesicam excernitur. Alterum calidum est, subtile & acutum, bilem vocant, & choleram, recipitur in vesicam, cui sub hepate locus est. Superest tertium crassum, turbidum, graue, & feculentum

cuius maxima pars in splenem transponitur per ramum venarum meseraicarum. Cæterum hepar temperatum, postquàm chylum (sic vocant cibum in ventriculo coctum) bene præparatum ad se traxit, statim concoquit, sanguinémque bonum generans, tria hæc excrementa mediocria, & sub proportione quadam pro ratione assumpti cibi efficit, adeò vt deinde ijs ordine & conuenienter ope naturalium facultatum expurgatis, toto corpore sanguis sit purus, caro bene nutrita, color viuus, floridus, & verus, corpus solidum, & succiplenum, nec vllæ morborum causæ generantur in homine ratione nutrimenti. E diuerso cum per affectus hepatis, vel venarum primarum imperfecta sit ipsa sanguinis concoctio, superfluitates eius, & excrementa quoque proportione sua carent, alióque & alio modo se habent pro ratione materiæ concoquendæ, pro qualitate & temperie membri sanguinem generantis, partiúmve huic inseruientium. Sed ne hîc longa disputatione fastidio sim, prætermittam dicere de duobus illis excrementis, scilicet de seroso humore & bilioso: quia illa hoc tempore in te parum possunt, agámque de tertio hoc, fece nimirum sanguinis, quam vel melancholiam, vel fecem melancholicam, vel humorem melancholicum nominant: quoniam ex tali aliqua materia generatur tui cruris affectus. Quod quò meliùs intelligas, scire debes hunc hu-

morem copiose nostris corporibus innasci multis de causis, ex quibus omnium potissimæ sunt hæ: nimirum naturalis ad hunc humorem quædam quasi propensio & inclinatio. Temperamentum primò calidum & siccum, & postmodum etiam cum ætate frigidius, siccum tamen: ciborum melancholicorum frequens vsus: tum etiam retentus præter consuetudinem melancholicus humor, qui vel ab arte vel natura solet certis temporibus expurgari. Generatus igitur hic humor, nec ea quantitate, quam constitutio corporis nostri requirit, expurgatus, diuersorum morborum in corpore causa est, pro diuersitate sua, & locis diuersis in quibus insedit. Hinc mentis deliria, perturbationes animi, amentia, cancer, lepra, elephantiasis, quartana, scabies, vlcera maligna, lien magnus, hæmorrhoides, varices, & reliquæ ad genus huius humoris passiones alumnæ nascuntur. Experientia ostendit, & Galenus ex ratione docet 4. Apho. 2. Verùm omissis cæteris omnibus de varice videamus: nam is cruri tuo sinistro insedit. Varices sunt venæ quædam plus æquo intumescentes, obtortæ, turgidæ, plenæqúe magna ex parte humoris melancholici, sanguinisve feculenti, quæ pluribus corporis nostri locis innascuntur. Videntur enim aliquando in temporibus, ventre, scroto, & plurimùm in cruribus: propterea

pterea quod aptissima sunt sua natura ad recipiendum humores graues, feculentos, & pondere suo deorsum inclinantes: qualis maximè ipse humor melancholicus est. Plinius viro tantum, mulieri rarò euenire dicit: licet ego sæpe in mulieribus obseruarim, atq; cum hæc ad te scribo, laborantem ex varice sinistri cruris mulierem curo. Vt plurimum in sinistro crure, rarius in dextro, quod sinistrum crus secundum rectitudinem lieni respondeat, omnis melancholici humoris receptaculi: quódque opinor sinistrum latus, cæteris paribus dextro sit frigidius, &, si dicere liceat, imbecillius. Dixi varices ex sanguine melancholico fieri, quod hoc magna ex parte eueniat: tamen est vbi aliquando ex sanguine copioso, eóque seroso venæ illæ intumescant. Testatur hoc idem Galenus libro de atrabile cap. 4. aliquando ab aliis crudis & crassis humoribus, vt videre est Com. 3. in lib. de atrabile cap. 4. Verũ discrimen facile color prodit, quandoquidem nigræ, quales sunt in tuo crure, ex nigro humore melancholico sunt. His præcognitis varicibúsque iis in tuo crure animaduersis, quæ ex eo humore proueniunt, vt ratio ipsa docet: quærenda est causa, quæ huiusmodi humorem in te superfluum progenerauit. Quod cùm facio, inuenio temperamentum tuum, & maximè hepatis à primo ortu fuisse calidum, & siccum, quod successu temporis neces-

sario

sariò siccius effectum, procreat sanguinem feculentum imprimis, & melancholicum. Ad hæc & victus ratio, & curæ, & exercitiorum genus, & huiusmodi reliqua, quantum consequi valeo, aptissima quoque fuerunt ad ingenerandum huiusmodi sanguinem, tum naturalis inclinatio ad hunc humorem, quæ, nisi fallor, in te est efficacissima. Et consentaneum est cùm nulla apparerent manifesta signa vel effectus hactenus, quibus humor talis superfluus deprehenderetur, neglexisse te quoque rationem euacuandi superfluam eius quantitatem suo tempore. Hunc igitur sanguinem feculentũ paulatim ingenitum, natura cùm se tandem oneratam persentiret, repulit, principésque partes eo liberans, ad crura inferiora detrusit, quò naturaliter propter grauitatem tendebat. Porrò quoniam is iners est, & ignauus, non statim illabitur in iuncturas, Verùm hæret & commoratur in venis, quæ illi propter amplitudinem suam & imbecillitatem, tono deperdito, facilè locum tribuunt & concedunt. Quod si hoc in loco nulla alia daretur malorum causa, vel nulla fieret aliarum superfluitatum, & humorũ accessio, ferri quidem pössit: sed cum multò secus accidat, occurrẽdum omnino est, ídque è vestigio: propterea quòd interposita mora oriri possunt vlcera maligna quædam, curatúque difficilia: vnde deinde ossis, crurísq; totius corruptio

succe

succedere poteſt, aut tandem cùm recipi plus hu
moris in eum locū nō poßit, tranſferri in aliam
corporis partem nobiliorē, nō ſine graui detrimē
to. Iam quòd humor ille non producit in mēte,
melancholiæ effectus, cuius etiam ex me ratio-
nem voluiſti, mirū videri nō debet: nā illud ac
cidit, partim propter qualitatē ipſius humoris,
partim propter locū in quē eū natura amandat,
& expurgat: quoniā cū ſit ſolùm fex ſanguinis,
vel humor melancholicus, neq; vllam aduſtionē
expertus, qualis ex aduſto ſanguine, eóq; magis
ex bile aduſta, vel melācholia ſuperaſſata gigni
conſueuit, materia prorſus eſt ignaua, neq; po-
teſt graues effectus inducere, grauiáque inferre
ſymptomata. Ob eam cauſam cùm humor iſte,
ſedem in crure, locum à principibus partibus re-
motiſsimum repererit, nullum ibi affectum, ſym-
ptomáve aliud, niſi quod ſit oculis & conſpe-
ctui manifeſtū, inducit. Cæterū exiguus ille tu-
mor, qui ſub genu cōſpicitur, ſpecies eſt ſcyrrhi,
tumor ſcilicet durus, qui breuî, niſi occurratur,
ſenſum omnē amittet: generatus eſt ex humore
viſcoſo, craſſo, & feculento, & qui extra venas
tanquam inutilis partim reiectus, partim ex im-
perfecta partis nutritione paulatim collectus, ibi
velut in nodum quendā cogitur. Tumor itē qui
paulò inferius circa talos eſt, huc ſuā originem
refert. Nam cùm eo loci venæ iſtius humoris
copia redundent: pars illa quæ ſicut cæteræ

omnes viuentes nutriri debet, attrahit ad se crudum & impurum illum sanguinem pro nutrimento bono. Idémque illi vsu venit, quod nobis in annonæ caritate constitutis, nã vbi pane non licet, radicibus, & herbis vescimur: ita quoque hæc pars, bono nutrimento egens, quo venæ priuatæ sunt, necessariò ad sui conseruationem apponit illud, quod erat ex malo proximum: vndè nõ viua caro, sed muccosa, excremẽtitiáq; generari necesse est, quæ huic tumescẽti parti causam præbet. Tria hæc sunt, quæ crus illud tuũ infestant: varices, tumor circa talos, & duricies illa sub genu, inter quæ primum cæterorũ omniũ causa & caput est. Curaturo autem hos cruris affectus, in primis opus est, restituat ipsi pristinum vigorem & robur, auferat tumorem omnem, & ita partem firmet, ne recipiat nouos influentes humores: tum etiam videndum ne in corpore similes isto humores geniti contineantur aut congregentur, quos in hanc partem imbecilliorem natura amandare queat. Quod postremum omnium primum expediendum est: quandoquidem illo neglecto quodcunque industriæ & laboris in curatione cruris impenderetur, foret planè irritum, & infrugiferum. Quod igitur ad corpus attinet, duo præstanda sunt, Prius expurgandum ab hoc humore corpus, deinde pusidendũ ne generetur in eo rursus eiusmodi humoris copia: & paulatim, vt fieri con-

suenit,

fueuit, ingenitus per medicamentum conueniens suo tempore expurgetur. Postremum hoc, primum trademus. Non ingenerabitur humor hic in corpore, si diligens ratio habeatur rerum earum, quas vocant Medici non naturales, quæ si adhibeantur eo modo quo decet, corpus præseruare poterunt, sin minus & huic humori causam dabunt, & corpus fortè in deteriores his affectus præcipitabunt. Habenda omnium ratio est, sed potißimùm in victus ratione, & animi affectibus. quòd hæc si incautius administrãtur, soleãt plurimum momenti adferre generationi horum affectuum. Abstinendum igitur erit tibi cibis succum melancholicum generantibus, frigidis, siccis, craßis, acribus, carne bubula, caprina, fumo indurata, sale condita, leporina, ceruina, animalium victum & in aquis & terra quæritantium: caseo, item leguminibus, præcipuè fabis, lente, braßica, ex pasta confectis. Pane item non bene fermentato, malè cocto, vino crasso, potenti, musto. Præterea interdicendum curis omnibus, animi molestijs, & cætera omnia pro ratione obeunda eo modo, vt neque corpus fatigetur, aut oneretur, neque mens sit angustijs vllis pressa. Cibus fuerit qui moderatè humectet, & calfaciat, excremẽtisque careat, qualis est hœdina caro vituli maximè lactantis, veruecis iunioris, pullorum gallinaceorum, caponum, auicularum campestrium, ouis recentioribus, tremulis, & id

genus

genus similia. Ex fructibus multi sunt, qui sine detrimento concedi possunt, ficus, vuæ, maximè passæ, pepones maturiores potissimum, quorum semen primum ante sationem vel lacte, vel Zaccharo fotum, germinare cœperit, Zaccharatos vulgò vocant, poma asseruata dulcia, pruna, amygdalæ dulces, nuclei pinei, pistaccia, eiusque notæ complures alij. Vino vtendũ tenuiori quidem, albo potius, vel etiam si lubet subrufo dilutioris coloris, claretum vocant: pane optimo, recentiori, fermentato. Instituta hac victus ratione, purgandũ statim erit vniuersum corpus: quod deinde singulis his proximis annis velim ad minimum bis fieri, nimirum ineunte Vere, & principio Autumni. Nam licet ipse moderatè viuas, & melancholicos cibos maximopere refugias, nihilominus semper propter naturalem inclinationem in hunc humorem, fæculenti & melancholici sanguinis in te aliqua quantitas reperietur, quam certis temporibus expurgauisse iuuabit. Prima purgatio quam administrari velim, hæc subscribenda est.

℞. Folior senæ orient. ℥ s. Polypodij quercini ʒ vj: Epithymi ʒ j. Infundantur per noctem in decocto liquiritiæ, canellæ, florum & fructuum cord. q. s. colaturæ admisce Syr. ros. sol. ℥ j. s. fiat potio, detur manè in aurora secure. Sequentibus sex vel septem ex ordine diebus subscriptum syrupum assumas hortor.

℞. Syr. de fumoterra ℥ j. Syr. de pomis Syr. de borragine ana ℥ s. Decocti borraginis integræ, Cetrach, Passularũ, Canellæ ℥ iiij. Misce pro vna potione, & sic pro aliis.

Postquàm sumpseris duos ex istis, & primas venas hoc pacto expurgaueris, consultum mihi videtur incidere venam internam, vel basilicam brachij sinistri: quòd si sanguis exiliens crassus, feculentus, ater, & melancholicus cognoscatur extrahendum cura ad ℥ x. plus minúsve: sin purus videatur, tenuior, flauescens, occludere multò citiùs venam profuerit, docente Galeno primo lib. ad Glauconem: necnon ratione hoc ipsum suadente. Post syrupos epotos capies hoc medicamentum in aurora, & superdormies, nec egredieris domo ante prandium.

℞. Rharbarb. electi infusi in vino albo ℥ j. Fol. senæ. ℥ iij. Polypod. ℥ v. Epithymi ℈ ij. infusorum in decocto liquiritiæ, violarum, canellæ. q. s. secundum artem. manè colatis adde Conf. hamech ℥ ij s. Syr. ros. sol. ℥ j. Misce, fiat potio solutiua.

Et hac velim te purgatione vti, tum in Vere, tũ etiam in Autũno, eámq; cõtinuare in aliquot proximos annos. Quòd si Autumnalẽ ita administraueris, vt adustos humores magis expurget, non refragor. Placebit etiam suprascriptam aliquando mutari, ne natura vni me-

dicamento

dicamento assuescat. Expurgato iam corpore ad cruris curationem veniendum. In quo cùm tria veniant consideranda genere diuersa, ratio quoque dictat, vt singulis suam curationem adhibeamus. Quod ad varicem attinet, quandoquidem vna sola non est, sed plures, eæque multis ramis propagatæ, excindi nullo modo potest: quod tamen aliâs feliciter in Italia nobis successit: quapropter alia via curationis inuenienda est. Et quoniam ipsæ venæ humorum plenæ sunt, & plus æquo laxiores intumuerunt, ex rei natura indicatione sumpta, euacuandus superabundãs humor est, & venæ cõstringẽdæ, & firmandæ. Tumor ille circa talos conspicuus, habitu quodam naturali videtur partem affecisse, & quasi ingenitus esse: atque ob id curatu perdifficilis: nihilominus prouideri potest ne capiat incrementum: adeò vt hæc pars plus roboris consecuta, paulatim facultatibus suis dissipet, & consumat quicquid excrementitiũ in se habet. Durus verò tumor sub genu, efflagitat ea quæ strenuè mollire, & sensim resoluere valent. Facta itaq; purgatione, summopere laudarẽ si pedibus, cruribusq; summo mane aqua calida fotis hirudines tres, quatuórve apponeres, extremis potissimum varicum fibris, non altioribus, crassioribúsque truncis, permittásq; donec plenæ cruoris sua sponte decidant. Quem diem totum quieti dabis, continebísque te lecto. Postridie

cinges posteriorem pedis partem, & calcaneum vsque ad talos, angusto, ex pelle canina, confecto calceo. Quod si hic crus ipsum apposite complecteretur profuerit, sed substerni debet plumbea lamina tenuissima, vbique (quo leuior sit) perforata, quæ præmet ipsas varices, eo modo quo coràm ostendi. Hoc modo vestitum crus ad multos dies conseruabis: atque vbi soluenda erit caliga, ternis aut quaternis quibusque diebus non solùm iuuabit leni frictione totum exercuisse, sed proderit etiam laminam reponere, caligáque cingere. Tumori duro hoc ceratum impone.

℞. Diachylon irriati, Cerati œsypi ex descriptione Philagrij ana ℥ j.
Ammoniaci dissoluti in vino ℥ s.
Misce, fiat ceratum pro loco affecto, vel simile aliquod, quod emolliat, & digerat, atq; hoc, vel illud efficacius faciat pro tumore magis minúsve duro aut molli. Quæ scripsimus hactenus ferè ea sunt, quæ in morbi huius curatione adferri velim: quibus hæc placet addere, quæ non parui momenti sunt futura, si his fueris vsus. quod vt facias, planè tibi sum autor: nam purgato semel corpore, non feriendum tibi aut omnino desistendum ab opere, sed interim dum ferrum, vt dicitur, calet, cudendum. Proinde consilium do, vt proximo mense Iunio aliquot hirudines apponendum cures hæmorroidibus vocatis venis, binas ijs venulis potißimùm quæ se-

in latere ani sinistro ostendunt, aliam item alicui ex dextris permittésque effluere ad aliquot paucas vncias. Eandem hanc euacuationem, ex iisdem venis, eodem modo administratam, Autummo proximo probarim. Quod si frequētiùs fieret, quod si item in plures annos continuaretur, summopere scio profuturum tibi. Ratione hoc ipsum intelligitur: experientia comprobat, & Hippocrates videtur idem docere 6. Aphoris. 11. & eodem 21. Atque hoc solo remedio (nisi ego planè fallor) partim euacuando noxium humorem, partim aliò deriuando, poteris te omnino à varicibus istis liberum reddere. In quem vsum etiam multùm faciet vsus sequentis electuarij, si assumatur quotidie in aliquot menses, cochleare vnum, horis tribus vel duabus ante cibum. Electuarium quod sequitur esto.

℞. Conseruæ rosarum (Itali & Germani zaccharum rosaceum vocant) Conf. florum borraginis. ana lib. s. Pulpæ passularum extractæ cum aqua violacea, vel borraginis ℥ iiij. Specierum diarhodon Abbatis ʒ iij. Specierum aromatici ros. ʒ ij. cum syrupo de cort. citri, et de pomis vtriusq; q. s. fiat mistura. Intereà valde laudarim, si singulis duabus vel tribus septimanis assumeres optimi Rhabarbari pondus dimidij aurei, idque masticatū, & dentibus tritum deglutires, vel pulueratū dimidiæ

vnciæ electuarij suprascripti immisceres, atq; ita deuorares. Præterea vehementer probo, si proximi Autumni vindemia ex vino albo maturo, minimè crasso, iubeas fieri borraginatum, ex radice tantummodo, sed ea proportione, vt radicibus quartam vel quintam partem addas foliorum senæ orientalis, injiciásque insuper quod satis videbitur cassiæ, hoc est vulgaris cinamomi. Atque vbi hoc defecatum, purgatúmque subsederit, eo subinde tota hyeme vti, vel manè scyphum assumendo, vel in prandij principio paulò minus ebibendo. Quod ad vsum ligni Guaiaci attinet, quod summopere quidam medici tibi prædicarunt, & ad tenuem illam victus rationem, quæ huic medicamento coniungi vt plurimum consueuit, hoc solum dico: quòd ex ipsius vsu non solum non sis percepturus iuuamentum, verum etiam insigne incommodum accepturus: quemadmodum quilibet prudens medicus poterit facilè ratione consequi. Quandoquidem cum ligno sit calfaciendi, & exiccandi facultas, idémque egregiè præstet inedia, & humor hic generetur in corpore propter siccam & calidam hepatis, & primarum venarum intemperiem, licet ea paulatim in frigidam mutetur, profectò non possum aliud in animum inducere, quàm inde tibi euenturum graue nocumentum: atque ita intemperatum iri naturalia viscera, vt quæ hoc tempore humorem ingenerent solum feculentum, tunc

ipsam melancholiam, vel humores adustos sint generatura. Nec admodum mihi pr. batur vsus radicis Cynæ, quam tu, vulgus medicorum sequutus, nescio qua ratione vocas radicem Apios. Verùm si alterum ex his esset concedendum, potius vsum radicis Cynæ, quàm ligni Guaiaci concederem. Victus porrò tenuissimus, & exquisitissima illa dietæ ratio, quæ solet huic remedio coniungi, naturæ tuæ & temperamento aduersatur. Verùm cibi & potus abstinentia, & cauta victus ratio, nulli non salutaris est, nedum tibi. Lignum Guaiaçum (mihi crede) magis vsitatum est hoc tempore & frequentius remedium, quàm quod ita omnibus morbis vtile sit, & ex vsu, quemadmodum quotidianis experimentis cognoscimus. Neque vnquam eo vtor, vbi res mea agitur, nisi in curando morbo, quem vocant, Gallicum, vel symptomatis ijs tollendis, quæ originem ex eo traxerunt, vel quæ ex eo fomentum habent, vel in alio aliquo ex frigida & humida insigni intemperie orto affectu. Prætereà varices curatæ fuerunt multis annis, antequàm inuentum esset lignum sanctum, aut huic nostro orbi cognitum. Verùm nullius hoc momenti est: illud me angit, quod sciam te nihil omnino inde vtilitatis percepturum, sed tibi prorsus fore contrarium. Huius remedij vice laudo summopere, vt aliam

hanc medicinam admodum tibi salutarem adhibeas. Velim te hac sequenti æstate, quod minus est, bis in septimana vti balneo, & lauacro aquæ dulcis, egelidæ, in labro aliquo in hunc vsum concinnato. Debet hoc fieri summo mane, alui excrementis reiectis: continuari item in multos aliquot ex ordine dies: tempus & certum terminum desiniet tolerantia ipsius: quod si in horæ spacium productum sit, fuerit abundè. Postquàm aliquandiu in lecto hæseris, spiritibus recollectis, profuerit assumere ius pulli, vel hœdinæ carnis, vel decoctum hordei, incoctis borragine, passulis, & cinamomo. Omiseram ferè quod etiam dictũ oportuit. Vidimus in Hetruria iuxta Pisas nascentem copiose plantã, quam CIRSION vocat Dioscorides, quasi velis herbam varicum dicere, sub monte Sant Iuliani dicto, ad dextram proficiscenti Pisis Lucam, sub eo loco quo Cosmus Florentinorum dux marmora excindere cœpit: neque dubium mihi est, quin ea multis in locis Galliarum humidis nimirum, vliginosis, & palustribus proueniat: Huius non solum radices adligatæ loco laboranti iuuant, doloresque sedant: sed etiam nobis experientibus folia solùm varicibus imposita mirum in modum prosunt. Hæc sunt quæ mihi super hac re dicenda in mentem venerunt: quod superest, sic existimes velim meam operam, studium & industriam, & ad maiorem rei totius pro tuo arbitratu declarationem

rationem, & ad alia omnia parata esse debere. Lugduni.

Consilium vigesimum quartum in ganglio in summa sinistra manu, pro Mercatore Coloniensi.

MOrbus qui hunc virum male habet, ex genere est tumorum præter naturam: quandoquidem in extrema manu sinistra supra carpum, iam à multis mensibus tumor ei est, molliusculus, concolor, digitis cedens, dolorem excitans quidem, sed leuem, neque continuum, qui tamen noctu quàm interdiu hominem peius habet: exacerbatur quoq; pro motione, & mutatione aëris, & maximè (quæ aërem potissimum mouet) Lunæ: post brachij motum & lassitudinem quoque, vehementior is fit, magisque affligit: accrescit etiam tumor, & minuitur secundum eandem hanc dictam lassitudinem, mutationem aëris, temporisque vicissitudines. Atque hi mores tumoris: quæ verò illum manifesta induxerit causa, nescitur: etenim inscio viro irrepsit, & quiduis aliud potius expectanti. Tentata aliquot remedia non admodum profuerunt, imò applicita consilio Medici interior cum pinguedine membranula, quæ solet in adipe suillo inueniri, obfuisse visa est, excitato maiori dolore: neque hoc fortè præter rationem: quandoquidem laxat

illa

illa, influentíque humori, aut degeneranti in flatus, locum capaciorem præbet: facit etiam tepescente suo calore vt frigidior materia facilè in flatus soluatur, excitetúrque. Hæc historia morbi. Ex his natura eius cognoscenda, quis nimirum sit, quæ eius causa prima extiterit, quæ coniuncta eum modo foueat, & contineat. Deinde si medicabilis videatur, addendum quo modo curari debeat, & poßit: Nam curationis ratione cætera omnia in disputationem vocabuntur. Diximus tumorem esse: cæterum quotquot tumores in corpore nostro generantur, fiunt vel ex aliquo quatuor humorum (sub humoribus etiam iam eorũm excrementa comprehendimus) vel ex flatu, vel increscente carne. Nam qui tumores videntur, luxato aliquo membro, & articulo in alterutram partem depulso, & protuberante, tumorum nomine, & natura haberi non debent. Vbi caro in parte aliqua increuit, quemadmodum in σαρκοκήλη dicta hernia & in aliquot aliis affectibus videmus, licet sub tumoris nomine veniat: tamen hoc loci, considerationе opus non habet. Si pars aliqua flatibus, & vento turgeat, Græci ἐμφύσημα malum vocant, Arabes ventosum apostema, quod tamen pro loci diuersitate, quem occupauit, diuersa sortitur nomina: de quibus hoc loco nihil dicemus: quandoquidem tumor, qui nobis curãdus

propo

proponitur, inclusum humorem continet, non ex simplici flatulento spiritu est, neque ex innata carne. Quare ex diuersitate humoris, quo particula turget ipsius natura indaganda.

Humores ex antiquorum etiam sententia quaterni sunt in corpore, si serosum sub pituitoso cōprehendas: alioqui quinque specie differentes constituas in corpore necesse est: quemadmodum nos arbitramur faciendum. Ex sanguine bono & simpliciori in locum aliquem collecto, inflammatio dicta generatur. Ex bile vel bilioso sanguine, Erysipelas: à pituita vel pituitoso serosóque sanguine laxus quidam tumor οἴδημα dictus, quemadmodum à bile nigra, vel sanguine melancholico durus tumor, qualis in scyrrhis vel cancro, & id genus aliis videri solet. Vnusquisque habet sua particularia signa, & suas notas, quibus facilè innotescit. Nam inflammatio ex sanguinis colore, dolore vehementi, calore, & id genus aliis se prodit. Erysipelas ex calore & colore bilis, non attollitur, vt illa: sed potius se diffundit. Melancholicus tumor, licet vt plurimum strictis limitibus sese contineat, tamen ferè indolens est, colore, vt humoris, nigro vel subfusco: durus, non facilè cedens. Qui ex pituitosa est materia, pro diuersa pituita, & eius differentiis, diuersus est tumor: aliquando mollis, laxus, vniuersum membrum, vel

maximam eius partem occupans ὄιδημα, vocant, aliquando strictis limitibus, & circunscriptis continetur, vt in multis vocatis nodis, glandulis, & id genus aliis videmus. Tamen omnes colorem humoris sequũtur, albicant enim & exiguum excitant dolorem, & quasi obtusum, qualis sæpe in stupefacta parte sentitur: nisi forte aut membranas & ligamenta grauet, vel flatu excitato ea tendat. Hic tumor qui nobis curandus proponitur, nullum exhibet colorem: non rubrum sanguinis: non flauescentem bilis: non nigricantem vel fuscum melancholiæ: sed subalbidum, vel potius similem colori vicinæ partis, quæ adhuc sanitate fruitur integra. Non calet, vt ex sanguine vel bile genitus: neque dolet vehementer vt illi: sed mitiùs se habet: non renititur, vt ex crassa melancholia genitus. Sed calore parum à sana parte differens, dolet aliquando remisso & obtuso dolore: prementi digito cedit, subterfugit, dilabitur, & retracto digito statim redit, & in pristinam formam relabitur: quod pressum est, albicat: quæ omnia indicia nobis demonstrãt, tumorem esse ex genere pituitosorum, non sanguineorum, neque biliosorum. Et quoniam ex ea materia, pituita nimirum frigidiore, accedente vel partis calore, vel exterius applicitorum fotu sæpe & multum flatus excitatur, fit vt vnâ cum hoc humore flatulentus spiritus subinde sit permixtus. Debet igitur hic tumor sub œdemate

non

non alio tumorum genere comprehendi. Sed quoniam in vno quoque genere, varia & multiplices sunt rerum differentium species, cognoscendum quoque sub qua specie contineri debeat, quódque illi apud Medicos nomen inuentum sit. Profectò qui diligẽter vniuscuiusq; speciei differentias, accidentia, propria considerat, vel ad nodos, vel vocatas glandulas hunc tumorem reducet, quorum vterque sub pituitoso tumore numeratur. Hos duos tumores multi confundunt, cùm tamen ab antiquis Medicis, manifestò illi distincti fuerint, vt vnius generis diuersæ species. Nodorum ab Arabibus dictorum multiplex natura, sub apostemate à Græcis cõprahensa est: in his tres sunt insigniores, à similitudine materiæ contentæ discreti, melleus nimirum nodus, adipinus, & qui similem pulti materiam includit. Verùm quia, vt dixi, his similis materia vt plurimùm in ijs reperitur, à Græcis propria sibi sortita sunt nomina ἀθηρώματα, μελικηρίδες, & στεατώματα ipsos vocantibus: cùm tamen si quis velit à materia contenta omnes distinguere numero duodenario vix comprehenderet. Glandulæ verò vocatæ Græcis γάγγλια sunt, nodis parum dißimiles: quapropter Celsus lib. 7. vno eodémque capite de ijs tractat, & Auicenna nodi species constituit, licet minus peritè vtrorumque & historiam & curationem confuderit. Etenim

sem.

Fen. 3. tract. 2. cap. 4. & 15. de nodis differens, glandulas adiungit, cùm tamen sequenti capite de eis separatim disputare statuerat. Vterque tumor sæpenumero pellicula continetur, quæ vndiq; inclusum excrementum comprehendit. Attamen hoc magis proprium est nodis dictis tumoribus: non vbique glandulis. Dißident potißimum hac nota, quia glandulæ, scribentibus antiquis, si premuntur, obliquè mouentur: nodi magis versus interiora sidunt, si præmuntur: si laxantur, retracto digito, versus exteriora exurgunt: attamen meliceris, quia liquidior ei humor inhæret, præssa etiam circunfluit: quod glandulis etiam aliquando euenit. Quæ dixi hactenus, discrimen vtriusque humoris cõstituunt, cum sub vno genere pituitosorum contineantur. Addemus pauca alia de ganglij essentia & causis, atq; curationem subnectemus. Paulus Aegineta lib. 4. & lib. 6. dicit gãglion nerui esse concretionem (συστροφὴν Græci vocant) ex ictu, aut labore ortam: quod licet Arabes, & posteriores quidã ab illo acceperint, mihi tamen non videtur verisimile esse. Nam quæ sit nerui conglobatio, vel coitio, vel contorsio, vel cõcretio (quomodocunq; velimus dicere, tu nominis explicationẽ vide in morb. acutis cõ. 4. aph. 21.) sensu & motu manentibus integris, & illæsis ego videre non possum: & quomodo hoc neruo eueniet ex ictu, nulla neque distentione, neque

conuul

conuulsione facta? quare etiam non potius fit nerui contusio ex ictu quam concretio? Quòd si ex ictu vel labore neruis imbibatur humor aliquis, qui concrescat, quóve illi nodantur, quare non conuelluntur ex Hippocratis sententia 5. aphoris. ij? Huc accedit curationem, quam ipse Aeginea lib. 6. eodem cap. ganglij tradit, cõcretioni nerui minimè conuenire: quandoquidem iubet paruũ ganglion cute primùm scalpello diuisa, comprehensum vulsella, ex basi praecidendum: magnum autem hamis transfixum, excoriatúmque tollendum: vulnus deinde cute commissa, vt decet, sanandum: quae sanè curatio nullo neruo vel soluto, vel concreto conuenire potest. Quare longè alia res ganglion est, quàm existimauit Aegineta. Etenim ganglion tumor est praeter naturam pituitosus, vt plurimum circa partes membraneas, ossa, tendines, neruos enatus, exiguus magna ex parte, mollior ferè principio, posteà subinde indurescens: frequẽter pellicula sua comprehensus, nonnunquam etiã nulla contentus: quo tempore humor tumorẽ faciens rasae quasi chartilagini, vel carni hebetae, & muccosae, ignauisq; aliquot fibris (quae proximis tendonibus & ligamẽtis intertextae sunt) cõfusus cõtinetur, glutinosus & muccosus, quasi ex neruorũ excremento cõgregatus: quẽadmodũ aliâs in sectione corporũ obseruauimus: qualisq; noscitur à Galeno Cõmẽtario secũdo de articulis,

qualis

qualis est etiam in hoc honesto ciue Coloniensi. Locum affectum, quem ganglium prehendit, nimirum summos artus, & caput, in eóque magis frontem, etiam agnosco cum Aegineta, licet in alijs partibus aliquando oriatur. Neque refragor externam causam vel ex ictu, vel labore, lassitudinéve partis esse. Tamen pituitosum, muccosúmque excrementum coniuncta causa ei est, quod in parte ex ictu, aut labore debili facta vel generatur, vt pote alimentum suum non rectè concoquente: vel à circunstantibus partibus & vicinis neruis, ligamentis, membranis amandatur: quapropter ferè circa ossa, membranas, tendones, neruos, ligamenta concrescit, & harum partium frigore & humoris natura condensatum: hinc vt plurimum circa caput & frontem, circa talos, & iuncturam, quà extrema manus brachio committitur, nimirum partibus ex carnibus reperitur. Hæc de natura & causis tumoris huius. Curatio iam ex morbi cognitione instituenda venit: Tumor est præter naturam, is auferendus venit: auferetur tumor, materia eum faciente ex parte vacuata. vacuabitur, vel si in alias partes pellatur, fundatúrve, vel si extrahatur. Extrahetur materia vel insensibiliter ea discussa & digesta: vel cute aperta manifesto eximetur, idq; aut ferramento aut medicamentis erodentibus applicitis. Cæterùm hæc in vno, eodémque tumore fieri non possunt, sed habenda

ratio tumoris & loci cui insedit. Nam tumor qui huius integerrimi viri manum affligit, quandoquidem non continetur pellicula, & est circa tendines, non potest scissa cute, vulsella apprehendi & auferri: prætereà quia nō est ex simplici humore, neque eo qui aptus est, vt in pus conuertatur (est enim humor fibris, & hebeti, muccosæque carni infusus, & intertextus) non potest suppurari, vt deinde ferro vel medicamento aperto tumore expurgetur humor, quemadmodum videre est apud Hippocratem, secundo de articulis circa finem: Quoniam est circa tendines & neruosas partes, nequit septico medicamento, sine harum partium detrimento, erodi aut consumi: relinquitur vna & sola curationis via vt aut dissoluatur vel insensibiliter dissipetur. Auicenna fen tertia quarti, tract. secundo cap. quinto docet extrahendum esse quemadmodum in apostematibus seu abscessibus dictis tumoribus fieri solet, si auferri sine detrimento potest, aliàs alio modo curationem instituit. Quo in loco inquit: Glandulas quæ similes sunt alsilac, & sunt species nodi, si tibi est possibile extrahere, extrahe, sicut alsilac: quæ ego hoc loco adduxi, vt intelligatur in vocibus errorem esse. Nam vbi alsilac legitur, alselha ex Bellunensi legendum est. Etenim hoc Arabibus significat glandulosum huiusmodi tumorem. Haliabbas Alselaa, vocat, cùm tamen silac vel Alsilac Auicennæ

sit ille palpebrarum morbus, quem Græci πτίλωσιν vocauerunt, vt videre est Fen tertia, tertij, qui hoc genere curationis non habet opus, neque ita curari debet. Adduxi hæc ne ex deprauato codice error medicinam huic morbo facienti contingeret. Verùm reuertamur ad huius tumoris curationem, dissolui & dissipari debet: id fiet partim ijs quæ humorem contentum fundunt, & dissoluunt: partim ijs quæ digerunt, & resoluunt. Quod vt effectum habeat, videndum ita tractetur, ne tenuiore portione extracta, quod reliquum est viscosum & crassum, concrescat condensetúrve. Quare necessarium omnino est, vt vno eodémque tempore applicentur tumori quæ emolliunt, incîdunt, digerunt, & resoluunt: quoniam & humor viscosus est, nec tumor sine duricie. In hunc vsum applicarem sequens ceratum.

℞. Emplastri oxycrocei ℥ j.
Ammoniaci ping. Bdellij, dissolutorum in aqua vitæ ana ℥ ij.
Rad. ireos ℈ j.
Lumbricos lotos vino & dissolutos num. iij. Commixtis omnibus cum pauco oleo terebinthinæ, & cera noua, si opus est, formetur ceratũ, extendatur supra alutam, applicetur tumori, & fascia arctissimè constringatur. Huic cerato si lamina plumbea superligetur, videtur mihi ex

vsu

vsu fore. Auicenna & sequuti eum ante nos plerique, plumbeam laminam simili aliquo emolliente & digerente medicamento illitam imponebant, quod sanè ego non improbo. Attamen in hoc ganglio nostro, mihi consultum videtur, vt primùm scripto ceromate emolliatur partim, partim resoluatur: & quia humor viscosus est, difficilis resolutioni, membranis, & tendinibus adnatus, arbitror maximopere profuturum, si singulis quatuor, quinque, vel sex diebus soluta fascia, ablato cerato, suffumigetur tumor, suffitu acerrimi aceti, quod satureiam, vel origanum, vel quid simile incoxerit, affusi pyritidi, vel lapidum molarium frustis candentibus: deinde absterso sudore, & compresso, & frictionibus exercitato tumori, rursus ceratum imponatur. Mirum quantum commodum hoc præstet, & expeditum sit id genus morbis remedium, attenuat, incîdit, discutit, resoluit, partem roborat, & firmat. Postquàm hæc reiterato facta aliquoties fuerint, videtur mihi consultum, vt tandem eo modo, quod reliquum est ganglij tractetur, quo Galenus lib. 9. de simp. med. facul. cap. 50. docet his verbis: Bractea (inquit) tennis plumbi probè ganglio illigata, planè ipsum dissipat. Docet etiam modum illigandi: Illigabit, inquiens, probè quisquis ab Hippocrate didicerit in ipsam noxam potius firmandum quàm hinc

vel inde. scribit etiam Paulus lib. 4. se hoc modo ganglion dissoluere, διοκάριον ex plumbo (quòd interpres nescio quàm rectè pilam pensilem reddit) imponens deligánsque, quod partim pondere suo dißipat tumorem, partim consumit: necnon partem affectam fuso primùm humore ita roborat, ne posteà facilè aliunde influentem recipiat. Ligandi rationem Galenus ex Hippocrate docet, vt scilicet fasciæ, primæ & omnium strictißimæ firmißimæq; circumuolutiones supra ipsum sint tumorem. quare laudarem Menecriti dictum vinculum ad partes extremas, quod ego conuenientißimum in ea parte affecta inter cætera inuenio. Hoc modo curatio institui debet, & post discussum tumorem, pars eadem lamina, & ligatura, vel hac sola, diu firmari, ne morbus (quod subinde in his fieri solet) reuiuiscat. Quod ne nobis inuitis eueniat, suadeo vt aliquoties in anno conuenienti purgatione vtatur, qua pituitosum excrementum, & muccosa pituita euocetur, neruosisq; omnibus, & membranosis partibus is succus, quo ad eius fieri potest, & ex vsu sit, dematur. Quod si fecerit, vna eadémque opera auertetur humor, & ab affecta parte reuelletur quodam modo. Purgans medicamentum hoc esse velim.

℞. Pilularum cochiarum ℈ ij.
Pilularum fœtidarum ℈ j.
Trochiscorum alhandal. gr. iij. fiant pilulæ v.

vel vij. deaurentur, capiat in aurora, & post deuoratas eas dormiat. Hoc medicamentum efficacius vires suas experietur, & maiore corporis tolerantia, si hunc syrupum tribus, quatuórve diebus præcedẽtibus manè epotarit.

℞. Oxymel. s. Syr. de stœchade. Mellis rosacei ana ℥ s. decocti chamæpityos, betonicæ ℥ iiij. Misce pro dosi. Quod ad rationem victus attinet, ea sobria & cauta sit necessum est, neque similem, ei qua nostri homines vt plurimum largiore vtuntur. Abstinere debet à cibis crassi, viscidi, & frigidi alimenti, azymis, lactarijs, suilla, omni ingluuie, & crapula. Manus ægrota non multum laboris perferat, ne lassitudine prehendatur: satis illud solum est, quod calorẽ natiuum in ea excitare potest, excrementúmque leniter per meatus cutaneos quotidianum discutere: quapropter mallẽ hoc frictione fieri, manu fricante aliquãdo aqua vitæ parũ madefacta, aliquando asperiore linteo. Suspendenda potius ex collo manus, non demissè ferenda: neq; velim hac equum duci, flectiq; in frequẽtibus suis & longis itineribus. Hæc consuluisse placuit in curatione huius tumoris, quæ ego latius prosequutus sum non otij, sed amoris erga hunc ciuem Coloniensem amicum meum abundantia, quodq; videretur mihi hic tumor non exactè cognosci ipsiúsq; curatio non rite instituta. Luguduni Calendis Aprilis.

Consilium vigesimum quintum in cutis defœdatione & principio elephantiasis, & aliquot aliis affectibus, datum honestæ mulieri Lugudunensi.

Mulier quinquagenaria quæ nobis curanda proponitur, laborat defœdatione cutis, pustulis vehementem pruritum excitantibus, tensione hypochondriorum, & manifesto in toto corporis habitu calore afficitur. A quibus affectibus, si liberari debet, vt exactè primùm cognoscantur necesse est: cum nec morbus curari, nec causæ auferri, nisi cognitæ ex arte poßint. Quapropter sciendum hanc mulierm, ab ineunte ætate fuisse hepate calidiore, quemadmodum ex corporis totius venarúmq; constitutione, & cæteris indiciis perspicuum euadit: docere id etiam possunt morbi, quibus olim fuit conflictata. Huius solius ego hîc temperaturam propono, quòd ferè omnes morbi, & symptomata quæ illam malè habent, principium suum, ex hepate, vtpote in humoribus habeant. De cæteris principibus in corpore partibus, nihil addo: quòd eorum cognitio ad affectuum horum tam cognitionem quàm curam parum aut nihil faciant. Hepar igitur, qui cum siccitate calidum, aut inter paßiuas qualitates medium habent, succedente ætate melancholici

lancholici humoris plurimum generant: quemadmodum ratione demonstrari potest: & Gal. in arte med. & paßim alibi abundè ostendit. Hinc primum subinde tertianis febribus laborauit, & sæpe quartanis. Vnde feculentus humor plurimus in meseraicas venas, & lienem se insinuauit, qui cùm non posset exterminari, neque à liene vinci, obstructiones ibidem euidentes, & inde manifestam duriciem peperit. Quo factum est, vt lien imbecillior, cùm non posset sanguinem à feculento, & melancholico humore (quod sui muneris est) expurgare, nec genitum à calidiore hepate ad se trahere, aut attractum concoquere, massa tota sanguinea per habitum corporis relicta sit impura, & contaminata multo feculento, & melancholico humore, corpusque cacochymum effectum sit. Cuius deprauati sanguinis molestias & effectus minus est aliàs perpessa, quòd eo tempore mensibus suis purgaretur: quæ purgatio quanti momenti sit in præseruatione à multis morbis, videre est apud Hipp. in aphorism. 29. lib. 6. Nam ea non dißimilis est eruptioni hæmorrhoidum in viris, quæ subinde ab omnibus morbis melãcholicis solent homines liberos reddere: quẽadmodum etiam obseruauit Galenus in lib. de Atra bile. Postquàm verò eæ purgationes mẽstruæ secũdũ naturam ante triẽniũ deficere, &

iam quinquagesimum circiter annum mulier attingeret (quo tempore ætatis melancholici humoris præcipua vis est in nostris corporibus, (vt testatur Galenus lib. 6. aphorism. 5.) atque hepatis calor in declinante ætate magis intensus nimirum ſiccior, melancholici humoris multum ei, qui in corpore erat, continuò adiungeret, causa data est variorum morborum generationi: Vndè statim supreßis naturaliter mensibus subsequuta est febris illa erratica, primùm continua, pòst intermittens, & tertianæ typum repræsentans: tandem (vt solet ferè omnibus erraticis euenire) in quartanam desinens, quæ tum octo menses continuos eam afflixit. Et quoniam illa focum suum (vt Auicennæ verbis vtar) vel subiectum habet lienem, illum egregiè debilitauit, atque cum intemperie duriorem reddidit. Statim autem quartana curata, insequutæ sunt huiusmodi pustulæ, de quibus hoc tempore nostra est disputatio. Neque id præter rationem: nam materia quæ in venis accensa, aut ex eis præcipitata putrescens, febrim quartanam causaret, quum à natura corpus expurgante, ad cutim (receptaculum excrementorum commune) extruderetur, neque poſſet propter craßitiem diſflari, iámque eſſet magis adusta, pustulas eas, quas videmus generauit, quæ eò plus molestiæ adferunt, quò sunt ex melancholico sanguine magis adusto: qui si etiam dicatur aliquid pituita

tuitæ putrescentis, & salsæ admixtum habere non refragor. Pustulæ hæ, vt plurimum circa extrema efflorescunt, nonnullæ circa manus, at plurimæ circa pedes & inferiora crura, quæ etiam egregiè intumescũt: atque præter huiusmodi tumorem varices denigrati in sinistro maximè supernè se ostendunt, quod etiam non est infimum humoris melancholici indicium, cum in ijs humor ater contineatur, atque inducta illis cutis egregiè nigricet: quod solet solũ ijs varicibus euenire, quos humor melancholicus progenerat, vt autor est. Galenus in libro de atra bile. Melancholici etiam humoris indiciũ præbet, quod magis vrgeant hi affectus in sinistro quàm dextro crure, quòd illud respondeat è directo lieni, qui sinistrum hypochondrium occupat. Vehemens ille pruritus ostendit quoq; melancholicum sanguinem, sed adustum hos affectus excitare. Is enim tam pertinax est, vt sæpe citius cutem & carnem descalpas, quàm pruritum tollas. Colligere hoc est ex commento aphor. 9. lib. 6. Hinc est quòd illa conqueratur vixdum cessare eum pruritum, cum scalpendo sanguinem prolectarit. Quandoquidem humoris melancholici maximè adusti ea natura est, vt commotus, & agitatus magis offendat quàm sopitus, & quasi in loco conquiescens. Huc accedit tempus motionis eius humoris; quod circa principium noctis esse solet: quo tempore ea

vehemētiſsimè incaleſcit, & grauiter cruciatur. Excrementa quoq; quæ excernuntur, planè melā cholicum ſanguinem prædominantem oſtendūt. Nam vrina aquea cum quadam glaucedine, & humorem hunc, & obſtructiones oſtendere ſolet: Alui excrementa limoſa, non formata, ſed diffluentia, nigra, oſtendunt primam & principem humoris melancholici cauſam in hepate & venis meſeraicis. Verùm de natura & cauſis huius diſpoſitionis hæc dicta ſufficiant. Inquirendum ex iam dictis, quod huic præcipuæ diſpoſitioni ſit nomen. Qua in re ſciendum deſœdationes cutis varias eſſe & multiplices, quarum nonnullæ ex humore pituitoſo, quædam ex bilioſo, aliquæ ex melancholico, nonnullæ ex horum miſtione, ſi ad cutem deferantur, fiunt. De ijs quæ ex pituitoſo, vel bilioſo, hîc nihil dicam. Quare relinquo impetigines, vitiliginem, herpetem, alteram alphum. Venio ad eas quas fieri conſtat ex melancholico ſucco, in quibus apud medicos ferè hæ recenſentur, Alphus nigra, pſora, lepra, & elephantiaſis. Et quoniam oſtendimus humorem melancholicum aduſtum cauſam præbere in huius mulieris corpore ægritudini, videndum vtrū ex ijs iam dictis affectibus aliquis affliget. Quod ſanè ex eorum natura, & proprijs notis facilè innoteſcet. Alphus nigra ſpecies vitiliginis eſt, ex humore atro quidem generata, ſed quæ ab huius diſpoſitione mulieris longè diſtet. Etenim

ea ſolet

ea solet locum affectum æqualiter afficere, & quibusdam furfuribus nigris dehonestare. Lepra tam à pituita ipsa, quàm melancholico succo causatur: sed hoc illi pathognomonicon est signũ, quòd squamæ decidát ex affecto loco. Vnde etiã creditur apud Græcos nomẽ inuenisse. At nihil tale in huius mulieris affectu inuenitur. Etenim partes affectæ inæqualiter tument, asperæ in quibusdam locis, in alijs minus, liuent cum nigrore quodam. Et pustulæ vbi exaruerunt, solent aliquid deijcere, sed parum furfuraceum. Qui affectus, si ex mitioribus aliquod nomen inuenire debet, sub psora omnino ponendus erit, quam nõ simpliciter scabiem Latinè nominabis. Nam scabies Latinis nomen latius patet, neque simpliciter Psoram Græcorum exprimit. Psora Græcis principium esse solet verendi illius morbi, quem elephantum vocant, vel elephantiasim, & facilè in eum exorbitare: Atque ego in hoc proposito casu, iam eius principium manifestum subesse existimo. Nam pedes & crura eo modo huic mulieri tument, quo Elephantiasi laborantibus tumere conspeximus. Est is tumor ex humore atro, vndè ille morbus generatur, vt ostendimus. Vox magis est rauca facta quàm soleat, quod ferè solet omnibus ijs euenire. Labra sunt magis tumida, & incipiunt pustulis per interualla efflorescere. Nasus si non accepit aliam figuram, saltem habet

subinde

subinde veluti lenticulas quasdam ibidē efflorescentes, quod Plinius lib. 26. cap. primo obseruauit in hoc morbo singulare. Denique tota cutis incipit maculis suffundi, adeò vt arbitrer illam omnino lapsuram in hunc morbum, nisi venienti malo occursum fuerit. Nam quod hoc tempore eodem affligetur, & difficile & odiosum foret ostendere. hoc quidem malum Arabes Lepram vocant. Nam elephantiasis Arabum leuior morbus est, nec contagiosus, aut ab hominum consortio exterminandus: quo Auicenna, & item Rasis hanc mulierem laborare faterentur. Quandoquidem pedes, & crura tumentia habet: idq; cum varicibus humore melancholico turgentibus: qualem Elephantiam suam describit Auicenna Fen 22. lib. 9. cap. 93. Verùm ab ea Elephantiasi longè diuersa est Græcorum, & à Celso descripta. Est enim grauius omnino malum: & si lōgius progrediatur, carnes depascens, & ossa subinde inuadens. Verùm vtcumque sit morbus vehemens est, nec vnquam sponte sua, aut vi naturæ, in ea maximè ætate cessurus: nimirum quòd radices egerit, & hypochondria ipsa maximè sinistrum tumescentia, causam habeat fouentem, conseruantem, continuóque suppeditantem materiam aptam huic morbo generando. An verò remedijs propelli poßit, & sanitas in integrum restitui, de eo quæstio est. In qua re sanè, si humorem peccantem consydero, si corporis,

& ætatis dispositionem, & affectum hunc quasi habitualem (vt dicunt) factum esse, profecto in eam opinionẽ venio, vt arbitrer incurabilem fore, aut saltem curatu perdifficillimum, tamen debitis & ritè exhibitis, & applicitis remediis, si non penitus curari, saltem tantopere infringi & refrenari posßit, vt minimũ sanè molestiæ exhibere queat, neque latiùs omnino serpere. Quòd vt assequamur, prouidendum est vt corpus optima victus ratione foueatur, & remediis exquisitis morbo occurratur. Quod ad victus rationem attinet, pauca quædam ascribam, quod ea vel idiotis ipsis sit egregiè cognita: quare generaliora quædam addam. Abstinendum est ei igitur ab omni cibo humorem melancholicum generante, à viscido, salso, acuto, craßi quoq; nutrimenti. In hoc numero sunt carnes magnorum animalium, maximè sale, aut fumo asseruatæ, qualis bubula, & ea paulò minus porcina, leporina, caprina, animalium victum partim in aquis, partim in terris quærentium. Legumina omnia, maximè lens & faba. In herbis ferè sola braßica. Tamen caloris ratione relinqui volo quasdam alias, vt erucam, raphanum, & quam dragonem vulgò vocant, cæpas, allia, porrum. Lacticinia ferè omnia, sed maximè caseum, atque in eo potißimum veterem: Axyma omnia: aromatibus condita: vina multi coloris, nigra, crassa, & generosa: Panis furfuraceus:

fructus

fructus, aut herbæ muria conditæ, Pisces carne glutinosa, lacustres, & in fluminibus circa vrbes capti. Vtendum potius elixis quàm assis, quòd illa sint his magis humida, & minus generando humore melancholico apta: nullo modo frixa, aut in cineribus cocta. Ex carnibus, animalium iuuenum, carnes vituli lactantis, hædi, veruecina, volucrium propè omnium: oua vt plurimum. Iusculis ex pane, hordeo, farre, aliquando incoctis prunis, cerasis adseruatis, aliâs intritis amygdalis, aut seminibus peponũ, vel melonum. Ex herbis, lactuca egregiè valet, magis ea borrago tam cruda quàm cocta, malua, pimpinella, melissa, cichorium, &c. Fructus, poma quædam, sed egregiè matura: fraga elota vino & insperso zaccharo: vuæ sed maximè passæ, pruna asseruata, ficus. Item pepones maturi, sed maximè vbi hypochondria sunt liberiora ab obstructione. Cibi non sint multùm sale, vel aceto condîti. Vinum album tenue, limphatum egregiè, vel vermiculum dilutì coloris, atque illud semper debet infedisse radices borraginis: vel vt plurimùm vsus aquæ hordeaceæ, incocto cinamomo, prunis & passulis, idque maximè per hos calores æstiuos. Panis purus, qui aliquid furfuris admistũ habeat, bene coctus, & fermentatus. Denique hic cibus eligendus, qui egregiè humectet, & mediocriter refrigeret, nec tamen possit aut obstructio-

nes

nes parere, aut partas eas fouere. In his obseruandus ordo, modus, & debita quantitas, ne plus cibi assumatur, quàm concoqui possit, neque alius admittatur, priùsquàm prior fuerit concoctus. In aëre quantum fieri potest, versetur temperato, puro, claro, perflabili & lucido. Et si talis non fuerit, cõcinnetur maximè his caloribus aspersione frigidæ aquæ, aceti, herbarum, & arborum quarundam admotione. Fugiat fœtidũ, obscurum. Animi motiones sint moderati, sed maximè iram, & mœstitiam et curas euitet. Somnus meridianus, nisi vsitatus sit & consuetus, fugiatur: nocturnus sit quãtũ consuetudini & naturæ satis est. A quo statim quærendum, vt corpus excrementa sua deponat, per os, nares, lotione & gargarizatione: itẽ per vrinã & aluũ. Et si aluus singulis diebus non respõderit quod satis videatur, volo assumat eo die ante prandiũ per horæ spacium cochleare vnum aut alterum vuarum passarũ præparatarum eo quo diximus modo. Post reddita excrementa à somno, corpus leniter exercendum, donec incalescat, ante cibum, eo in loco in quo calor aut ventus, aut alia aëris iniuria molesta esse nequit. Quod si quoque ante cœnam posset fieri leuis inambulatio, maximè circa aquas, flumen, vel fontes, summopere laudarem. Hæc sunt quæ breuibus dicta volui in viuendi ratione obseruanda, quæ tanti sunt (credite mihi) vt si ritè adhibeantur,

beantur, vel ſatis eſſe poßint his diſpoſitionibus ſi non omnino curandis, ſaltem ne latiùs ſerpant retinendis: atque niſi ea obſeruentur vix vllum remedium ex vſu eſſe poſsit, quantúmque inſigne illud ſit, quod adhibeatur. Quod ad remediorum vſum ſpectat, ritè præſcribendum, iterum in memoriam ſunt reuocandi affectus, qui præter naturam hanc mulierem affligunt. Puſtulæ ſunt in extremo habitu corporis, calor totius vrget, & obſtructio hypochondriorum moleſta eſt, atque hi ita ſe habent, vt alter alterius cauſa dici poßit: tamen omnes ab humore melancholico dependent, quo refectam eſſe maſſam ſanguineam oſtendimus. Quæ in cute ſunt potißimum abſtergentibus opus habent, ſed quia in humore calor & ſiccitas eſt, adhibenda ea quæ humectent, & refrigerant. Quæ in hypochondrijs ſunt obſtructa, apertione egent, ídque ijs quæ incidunt, attenuant, abſtergunt, molliunt, atque hæc omnia ſine euidenti, quatenus fieri poteſt, & manifeſto calore. Verùm cùm conſtet venoſum genus hoc humore plurimo abundare, nullum ex prædictis rectè fieri poterit, niſi primùm euacuato & expurgato corpore. Et quoniam hæ diſpoſitiones primùm manifeſtè inualuerunt poſt menſium ſuppreßiones, reuocandi forent: quemadmodum ab Hippocrate in aphoriſ. & Galeno paßim

doce

docetur. At cùm ætas in hac muliere euocationi eorum refragetur, alia quærenda euacuatio, quæ eorum vicem supplere poßit: quod optimè factura est hoc tempore venæ jectio ex brachio maximè sinistro, vena media aut interna, quemadmodum Galenus rectè tertio de loc. affect. cap. 6. & primo ad Glauc. de quartana fieri docet in affectibus melancholicis. Vt autem rectè hæc administretur, placet vt primum assumat hoc lene medicamentum, quo primæ venæ & viscera leniter expurgantur, ne crudi, & craßi aliquid à venæ sectione in habitum corporis rapiatur. A principio igitur curæ, hoc quod sequitur assumat.

℞. Caßiæ recens extractæ, Diacathol. ana ℥ s. Electuarij lenit, quod quidam Diasenæ non solutiuum vocant, ℨ iij. cum pauco cinamomo, fiat bolus, capiat mane quatuor horis ante cibum. Sequentibus aliquot multis diebus capiat ℥ iij. infrascripti syrupi cum totidem vncijs decoctionis borraginis & liquiritiæ. Syrupus hic esto.

℞. Endiuiæ, Lupuli, hepaticæ, Cetrach. capill. ven. recent. ana m. j.
fumiterræ m. ij.
foliorum senæ, rad. tormentillæ, Epithymi
rad. polypodij ana ℥ j.
florum violarum, florum borraginis. S. com-

munium frig. maior. granorum berberis
ana ℥ s. S. citri, aut arantiorum,
Liquiritiæ, Cinamomi ana ʒ iij
passul. p. j. coquantur in aqua q. s. se-
cundum artem, & cum zaccharo fiat syru-
pus in bona forma. Vbi per biduum eum
syrupum assumpserit, aperiatur ei basilica,
vel vena media sinistri brachij, & si san-
guis, vt arbitramur, valde melancholicus
fuerit, extrahantur circiter ℥ x.
vel xij. sin minus satis est ad ℥ vj.
peruenisse. Nam tota hac æstate velim sin-
gulis mensibus circa nouilunium hirudines
applicari hæmorrhoidibus vocatis venis, vt in-
de duæ aut tres sanguinem exugant, quoad
sponte sua cadant. Etenim ferè ex alio nul-
lo remedio maius iuuamentum sperare de-
bet: quod nimirum hæc euacuatio mensibus
respondeat: quòd venæ illæ partim mensera-
carum, & portæ vocatæ venæ propago sint,
quæ in hac muliere refertæ sunt, & obstru-
ctæ ab humore melancholico: partim origi-
nem ducant ex ramulis Cauæ venæ, quæ
etiam non parum eius humoris habet. Ac-
cedit ad hæc Hippocratis egregium testimo-
nium. 6. aphorismorum: & Galenus expreße do
cet in libro de atra bile, quantopere harum a-
pertio in omnibus melancholicis dispositioni-
bus

bus iuuet: quod etiam post eos, experientia frequenti verum esse didicimus. Quare ei autor sum, ne vllo modo hoc remedium post primam purgationem intermittatur: sed hac æstate, & sequenti autumno etiam, singulis, vt dictum est, mensibus reiteretur. Et hoc sibi persuadeat, longum & vehementem morbum, & qui in habitum quasi transitum fecerit, non nisi insignibus, frequenter reiteratis, & continuis quasi remediis curari, & tolli. Sed redeamus ad primam purgationem. Postquàm octo diebus ex ordine vsa fuerit illo syrupo, placet vt hoc pharmacum assumat.

℞. Confectionis hamech ℥ s.
Elect. ros. Mes. ℨ j. s.
fol. senæ ℨ j. Polypodii quercini ℨ ij. Infusorum in decocto liquiritiæ florum & fruct. cord. cum pauco cinamomo q. s. Syrup. ros. sol. ℥ j.
Misce, fiat potio, capiat manè in aurora, & superdormiat si potest. Hunc ordinem in purgatione corporis velim reiteraret aliquoties priusquàm Sol Leonem ingressus fuerit & Canicula emerserit, eisdem medicamentis, eodem ordine & modo. Quandoquidem ea est natura huius morbi (vt dixi) vt non cedat facilè vni medicamento, sed frequenter reiteratum & velit, & expetat. Deinde vbi Canicula vna

cum Sole emergere cœperit, eo tempore hæc paulo grauiora medicamenta, quæ diximus, intermitti velim: tamē cōtinuò aliquid moliri, quod naturā & corpus aggrauatum subleuare poßit. Qua in re maximopere laudo vt ℥ iij. fol. senæ orient. cum pauco cinamomo & passulis infundat in iure pulli per noctem singulis septem diebus mane epotādum, cui aliquando aut polypodium aut epithymum pro libito adijcere poterit. Atque hæc sunt quæ arbitror sufficere pro corpore purgando. Verùm à purgatione, & extirpatis hoc modo vt plurimùm radicibus morbi, ad alia veniendum est, nec statim ab opere feriandum. Quapropter statim à purgatione volo vtatur singulis diebus manè hoc electuario, ad quantitatem nucis iuglandis, & post acceptum, & assumptum elect. illico conscendat in labrum plenum aqua dulci, egelida, atque in eo moretur ad horæ spacium, pòst decumbat. Et post horam vnam aut alteram absterso sudore, crura, & cæteras partes infectas inungat subscribendo linimento. Balneum hoc mirum in modum siccitatem illius humoris infringit, commodè refrigerat, multa excrementa per cutem (quo natura in hoc morbo vergit) discutit, quæ asperiora, & dura sunt in cute, relaxat, & humores qui in venis sunt, ipsásque venas, & eorum principium hepar contemperat. Scio ego à Medicis laudari in hoc morbo balnea natura-

lia, frigida maximè, qualia ferrea sunt, & aliquantum aluminosa. Verum id ad externum cutis habitum restituendum faciunt solùmodo & pustulas abolēdas: quod in hac muliere nondum ex vsu est: nam interim dum vehemēs illa caliditas cum siccitate adhuc in corpore viget, balnea illa medicata non possent non vehementer obesse, quod mihi in Lucensibus balneis medicinam facienti longo vsu comprobatum est. Etenim ferrea illa, & aluminosa balnea habitum corporis egregiè inflammant, cutem densando, meatúsque corporis occludendo, vt facultas corporis ea ratione excrementa fuliginosa difflare minimè queat. Tamē illud ego non improbarim in hac muliere, vt tandem post primos balnei dies, in dulcem aquam aliquot candentia ferramenta extingueret: incoqueret etiam radices acetosæ, vel lapatij maioris, fumariam, lupinos contusos furfuribus mixtos, & ligatos in sindone vel panno lineo, quo in eodem balneo sordes abstergi velim. Electuarium assumendum ante ingressum balnei, vel in ipso balneo, hoc esto.

℞. Conser. florum borraginis, Conser. rosarum ana ℥ j. ß. Diarhod. abbatis, Theriacæ optimæ ana ℥ j. cum syr. de pomis q. s. fiat electuarium, Linimentum verò quo velim affectas partes à balneo illini sic parato.

℞. Succi solatri, succi scabiosæ, Aceti rosacei. ana ℥ j. Succi rad. lapatij. Succi rad. enulæ ana ʒ. vj.
Olei rosacei ℥ iiij.
Cort. hellebri nigri ʒ iij.
ligatorum in petia. Coquantur omnia ad succorum ferè cons. deinde helleborus abijciatur, & addantur butyri recentis ℥ j. s.
Pinguedinis viperæ, si haberi potest, si non, loco eius, Theriacæ bonæ ℥ j.
Plumbi vsti ℥ s.
Lithargyr. Cerusæ ana ʒ ij.
Thuris ʒ j. s.
Storacis calamitæ, Salis nitri ana ʒ ij.
omnia misceantur, & cum succo limonum agitantur tandiu in mortario plumbeo, donec formam linimenti acceperint. Post absolutum hoc in balneo lotionis tempus, moderatè viuet, & per hanc æstatem subinde interpositis aliquot semper diebus, balneum reiterabit. Interea temporis aliquando accipiat semina malorum arantiorum ad ℥ ij. contundat, incoquat aquæ vsque ad cons. tertiæ partis, & quod reliquum est aliquando mane sumat cum pauco Zaccharo loco syrupi. Vbi fastidium huius obrepit, post balneum absolutum, placeret hoc remedium, quod apud quosdam pro experto secretè in hoc morbo conseruatur. Accipiunt miluum de

deplumant, posteà abscisso capite, pedibus, atque eo euiscerato, interiora omnia, caput, & pedes in ollam rudem coniiciunt, quem tectum luto oblinunt, & in furnum calidum seponunt. Vbi omnia combusta sunt, extrahunt, quódque in eo inueniunt, puluerant, atque ex eo puluere manè in aliquo liquore propinant: quod verò reliquum est auis, hoc partiuntur in partes tres, & quomodocunque coctum, edendum præbent ægroto, eo ordine, vt tertia dies postremam partem auis absumat. Quo remedio testantur quidam hunc morbum aliàs nouem dierum spatio persanatum esse. Mihi verò hoc sequenti experimento aliàs in simili & grauiori casu in Italia curatus est. Accipio duas aut tres viperas, si haberi nequeunt, totidem alios serpentes, conscindo viuos & adiecto multo hordeo decoquo in aqua, quoad hordeum tumeat aut crepet, hordeo eo, & ipsa serpentum carne pullos gallinaceos multos continuo alo, nec aliud alimentum suppedito. Solent pulli postquàm aliquot dies enutriti sunt, implumes euadere, & tandem rursus plumis vestiri. Vbi igitur per multos dies ita alti sunt, paulatim incipio ægrum horum carne, & carnium eorum iusculis alere. Hoc remedium comprobatum est experientia. Item ratio hoc suadet, quemadmodum Galenus noster diligenter edocuit libro vndecimo de

medicamentis simplicibus, vbi latißimè agit de natura & facultatibus viperinæ carnis.

Septembri mense iterum eam purgari velim adhibito docto & prudente Medico, vel vtatur prima à nobis præscripta purgatione sine Medici consilio. Deinde vere insequenti circa Aprilem iterum alia velim vteretur, nimirum assumeret apozema illud laxatiuum quod subscribam, neque improbarem omnino, si priùs aut venam brachij sinistri mediam tunderet, aut hæmorrhoidibus sangnisugas, vel hirudines duas aut tres applicaret. Horum omnium causas foret longius explicare: nec opus est, cùm eæ satis ex præcedentibus pateant. Apozema hoc esto.

℞. fol. senæ, Polypodij quercini ana ℥ j.
Cort. hellebori nigri infusorum per horas viginti quatuor in aceto ℥ j.
Myrobalanorum Indorum ℥ s.
S. anisi, fœniculi, cinamomi ana ʒ ij.
Liquiritiæ ʒ v.
Pruna damascena numero xj. Herbarum fumiterræ, Scabiosæ, florum borraginis, Hepat... ana m. j.
Rad. enulæ camp. lapatij acut. ana ʒ iiij.
florum violarum, passularum ana p. j. s.
Epithymi ʒ vj.
Misce, fiat infusio in aquæ lib. j. s.
Coquatur ebulitione vna, deinde adde vini

albi lib.s.coletur, & zaccharo q.ſ.eſt addito, fiat apozema, de quo accipiat ℥ ij. vel iij.in iure puli, ſingulis aut alternis diebus, vt viſum fuerit. Abſoluto hoc curationis modo, ſi fortè crura non ſatis reſtituta fuerint, volo accipiantur glebæ, vel argillæ albæ partes ij, ceruſæ pars vna, ſubigantur albumine ouorũ,atq; ex ea paſta inducatur cruribus cruſta æqualiter, quæ vbi exiccata, & quaſi percocta calore pedum fuerit, dematur, atque crura tum abluantur aceto, quod roſas, rumicem, & rad. altheæ incoxerit, atque tum ablutis cruribus alia iterum inducatur, atque rurſus eadem repetantur.

Quod ſuperius dictum oportuit hîc adiungam. Statim à purgatione prima volo hypochondrium vtrunque, ſed maximè ſiniſtrum, hoc ſequenti linimento inungatur, ſingulis diebus abſoluta ciborum in ventriculo coctione.

℞. Succi cyclaminis, Succi cetrach. Succi capparum ana ℥ j.
Ol. capparum. Ol. amygd. dul. Butyri veteris ana ℥ vj.
Ammoniaci diſſol. in aceto ℥ iij.
S. portulacæ. S. acetoſæ, Tamaricis ana ℥ j.
cum pauco aceto coquantur ſecundum artem, & cum cera noua fiat linimentum.

Hæc ſunt quibus hanc mulierem ſanitati priſtinæ reſtitutam iri (ſi rectè fuerint adminiſtrata) arbitror: quod facilè quiuis doctus

& exercitatus Medicus assequi poterit, qui ea diligenter perpenderit quæ à nobis superiùs scripta sunt. Cuius ego iudicio hæc omnia libenter subijcio, optóque meliora in salutem huius ægrotantis consulat.

Quapropter præter hæc abundè scripta, multa reseruo, quæ vbi opus fuerit latius & explicatius sum declaraturus.

Lugduni.

***

FINIS.


Errata Typographorum sic cerrigito.

Pag. 3.	lin. 6	pro puluent	lege pululent
4.	9.	folo	ʃolo.
9.	8	circumnactũ	circumnatum.
12.	23	quodammoda	quodammodo.
17.	14	pilula cochia	pilulas cochias.
18.	5.	tuo	tu.
26.	1.	pharamacop.	pharmacop.
26.	2	miʃte	miʃce.
27.	antepe.	alterutri	alterutrius.
28.	21.	florom	florum.
33.	7	pulueri	puluere.
39.	20	ʃuʃis	fuʃis.
45.	10.	natura	naturæ.
49.	2.	mallum	malleum.
62.	11	temperatas	temperatus.
69.	10	potui	potu.
70.	14.	vnas	vuas.
72.	17.	frigidum	frigidus.
74.	14.	omni apermiʃt.	omnia permiʃt.
78.	20.	aperant	aperiant.
97.	17.	vʃu	vʃus.
98.	22.	infractos	infarctos.
99.	1.	continuè	continuò.
99.	13	pulmorum	Pulmonum.
101.	8.	flt	ʃit.
103.	9.	Cinamami	Cinamomi.
104.	8.	coloquintio	coloquintid.

Pag. 105.	lin. 6	pro lib. 5.	lege lib. 8.
110.	3.	ſumno	ſomno.
114.	2.	extirpare	extirpari.
115.	antep.	auum	aluum.
116.	21.	hypochondricā	hypochondriacā
117.	22.	quoſdam	quaſdam.
119.	16.	p. j. s. plant.	p. j. S. plant.
122.	32.	expurpurgat	expurgat.
124.	21.	abſtruct.	obſtruct.
125.	16.	decent	docent.
125.	23.	oriciſicium	oriſitium.
126.	17.	frigid.	frigid.
129.	19.	ſommo	ſomno.
131.	12.	habitu	halitu:
131.	20.	nociuuo	nociuus.
139.	11.	vteris	vtaris.
143.	6.	haper	hepar.
146.	5.	refectum	refertum.
148.	24.	diſint	deſint.
152.	vlt.	Anſi	Aniſi.
155.	10.	promerid.	pomerid.
165.	7.	occldant	occludant.
165.	penul.	hæc	hac.
167.	2.	cernicis	ceruicis.
169.	3.	ſommo	ſomno.
169.	17.	diſſolata	diſſoluta.
172.	8.	nogotio	negotio.
179.	5.	cyphum	ſcyphum.
181.	vlt.	mir	mira

pag. 192.	linea 9.	pro *Lenæ*	lege *Lunæ*.
180.	16.	*medicicamenta*	*medicamenta*.
211.	4.	℥ ij.	ʒ ij.
214.	23.	*prosthac*	*posthac*.
216.	j.	*perspicerem*	*prospicerem*.
220.	7.	*quicquid*	*quicquam*.
223.	8.	*resperi*	*vesperi*.
223.	24.	*egrelida*	*egelida*.
237.	12.	*istus*	*istius*.
239.	9.	*arbitrar*	*arbitror*.
243.	18.	*albijssimi*	*albissimi*.
245.	1.	nobibilis	nobilis.
247.	8.	*iudituum*	*indittum*.
254.	6.	*si qua*	*si quæ*.
255.		*penult. oleum*	*olei*.
258.	10.	*principium*	*principum*.
262.	24.	*humores*	*humoris*.
263.	18.	*exuret*	*exurat*.
256.	13.	*bumoris*	*humoris*
256.	15.	*destuent*	*defluent*.
267.	13.	*medicamenta*	*medicamento*.
285.	28.	*fiaot*	*fiat*.
286.	25.	*hoc morbe*	*huic morbo*.
290.	1.	*febrè*	*ferè*.
296.	6.	*vehementiobus*	*vehemētioribus*.
298.	7.	*In sequentib.*	*Insequentib.*
300.	4.	*nouum*	*nonum*.
309.	6.	*vocare*	*varare*.
399.		*vlt. abicynam*	*abiegnam*.

Pag. 310. lin. 20. pro paraxysmo		lege paroxysmo.
316.	7. varie	varice.
331.	11. generantur	generatur.
333.	vlt. confuderit	confuderit.
337.	4. tendinis	tendines.
348.	antep. rem dijs	remedijs
349.	14. Astinend	Abstinend.
352.	14. refectam	refertam.
In	erratis varare	vacare.


20-1-21